magna necessitas. Et idem in rigore fatetur dicendum *Suarez tom. 2. de religione tract. de juramento lib. 3. cap. 13. num. 10. in fine, & n. 11. in fine*. Qui tamen optimè ait eo *nu. 11.* longè diversum esse in petitione mutui sub usuris, quàm in petitione juramenti per idola. Nam etsi sit ex se licita utraque petitio in prædicto sensu permissivo; at in petitione mutui sub usuris non datur ansa scandali, nec est externa species inductionis ad usuras exercendas: quòd manifestum sit petentem mutuum nolle usuras dare, atque invitum eas offerre, desperando aliàs mutuum consequi, ac proinde datur necessitas offerendi illas. At in petitione juramenti per falsos deos, satis datur ansa scandali, & ut existimetur inductio ad sic jurandum, & illius approbatio. Quia moraliter numquam est necessaria ea expressio, & sufficit absoluta juramenti petitio, & ut alter acceptet conditionem jurandi, est satis, ne petatur juramentum per verum Deum, quem Christiani profitentur: & ideo benè concludit *Suarez, ibi*, etsi ex se non sit illicitum in eo sensu permissivo petere juramentum per falsos deos; at regulariter id non licere ob prædictam scandali rationem: at si in aliquo casu peculiari esset necessitates sic petendi, id licere ostendendo animum sic acceptandi juramentum, permittendo illud, non quia placeat, sed quod alio modo obtineri nequeat.

32 Demum observa ad licitam petitionem juramenti à Pagano, quem per falsos deos juraturum scitur, etsi non explicetur, ut per falsos deos juret, esse opus, ut ille aliquam saltem notitiam confusam veri Dei habeat. Quia si novit licitum jurandi modum, petitur ab ipso, quod nequit licitè facere, supposita sua veri Dei ignorantia, per quem est jurandum. At hæc conditio impletur moraliter, seu supponitur, quoties fidelis petit ab infideli juramentum. Quia non potest tunc ille infidelis non habere saltem famam aliquam alterius Dei, per quem Christiani jurant, cum quibus contractum init. Atque hoc sufficit, ut juramentum per verum Deum non sit impossibile illi infideli: jam enim in ejus potestate est plenius informari, & voluntaria determinatur ad modum illicitum, & licitum negligit. Hæc docet *Suarez. eo cap. 3. num 5. & 6.*

CAPUT IX.

De obligatione juramenti, qualia, & quanta sit? Et qualem materiam desideret, ut obligationem inducat?

SUMMARIUM.

An juramentum obliget; tamquam privata lex? n.1.
An illius obligatio oriatur semper ex præcepto affirmativo? Et cujus virtutis? n.2.
An semper sit sub mortali, etiam in re modica? n.3.
An sit major, quàm voti? n.4.
An juramentum rei futuræ contineat semper promissionem? Et quid in dubio? n.5.
An dum non continet promissionem, obliget ad rem illam futuram implendam? n.6.
Qualiter juramentum facti alieni intelligatur, & obliget? numero 7.
An in juramento includente promissionem sit duplex obligatio, & unica, quando illam non includit? n.8.
An obligatio primaria juramenti promissorii facti homini, sit erga Deum? n.9.
An juramentum promissorium factum homini, nullo acceptante legitimè, obliget? n.10.
Juramentum soli Deo factum materia mala, indifferentis, impedientis majus bonum, seu contra consilia, ut non mutuandi, non sponsandi, rei impossibilis, aut difficillimæ, aut ob finem malum; & quando partim materia est mala, aut impossibilis, vel sub conditione impossibili, vel sub pluribus conditionibus, quarum una est impossibilis, an obliget? Remissivè, n.11.
Quid si id juramentum soli Deo factum, non contineat promissionem, aut non referatur explicitè in Deum? n.12.
An nulla petita relaxatione possit contraveniri juramento de materia, impossibili, indifferenti, aut contra consilia? Et explicatur cap. Cum quidam, de jurejurando, *& c.* Venerabile, *vers.* Idem etiam, de elect. *n.13.*
An sit peccatum implere juramentum natura incapacis, ut contra consilia? num.14.
Juramenta non emendi auctiori pretio, aut non minori pretio vendendi, an obligent? n.15.
Juramenta parentum, aut herorum, dominorum, puniendi filios, famulos, servos, aut eos puniendi, si eos arripuerint, an obligent? num.16.
Juramenta puerorum deferendi delicti alterius pueri parentibus, heris, aut magistris, an obligent? n.17.
Juramenta prævenientium se honore non egrediendi, aut ingrediendi prius per januam, & similia, an obligent? n.18.
An quotiès juramentum præstitum homini potest absque culpa impleri, etsi sit de re indifferenti, aut impediente majus bonum obliget? n. 19. Et ibi remissivè, an exigatur actum promissum esse actum alicujus virtutis?
Quid si id juramentum factum homini non includat promissionem? num. 20.
An non obstante eo juramento matrimonii, aut alterius obsequii præstandi homini, liceat transitus ad religionem, & statum perfectiorem, etiamsi pactum expressum sit non transeundi ad religionem? Et quid de juramento admissorum ad quadam collegia, quo jurant se non fore religiosos inconsulto collegii præfecto? Et an admissi ad Anglicum collegium, jurantes transitum in Angliam finitis studiis, gratia docendæ fidei, possint ad religionem transire? Remissivè, n. 21.
Quid si juramentum ipsum sit illicitum, aut lege interdictum, aut lege irritatum? n.22.
Quid si promissio illo juramento facta sit illicita? n. 23.
Quid si etiam sit jure irrita? n.24.
Quid si sit culpa implere promissionem illam, ut juramento stabilitam? num.25.
Quid si ea promissio sit contra prius votum, aut juramentum, aut simplicem promissionem? n.26.
Quid si ea promissio sit prodiga? n.27.
Quid si ea promissio illa fiat ob finem turpem? n.28.
An juramentum reipublicæ sub culpa aliqua, sive per legem naturalem, sive divinam positivam, sive canonicam, sive civilem obliget? n. 29.
An juramentum contra bonos mores naturales, sive civiles, obliget? Et explicatur regula, Non est obligatorium de regulis juris in 6. *num. 30.*
Explicatur quando prohibitio legis civilis sit principaliter ob publicam utilitatem, & quando principaliter ob privatam, numero 31.
Proponitur quædam opinio circa obligationem legis civilis ad culpam, quando eius prohibitio est principaliter ob utilitatem publicam, num. 32.
Proponitur alia opinio circa eamdem obligationem, quando prohibitio est principaliter ob utilitatem privatam, num. 33.
Traditur vera regula circa hoc, quando prohibitio est principaliter ob publicam utilitatem, n.34.
Traditur alia, quando est principaliter ob privatam utilitatem, num. 35. & 36.
An sit sufficiens obligationis ad culpam signum, quando lex civilis interdicit aliquid ob privatam utilitatem, si iubeat non posse ei favori renuntiari? n.37.
An obliget ad culpam, & sic juramentum non obliget, quando lex civilis aliquid interdicit propter detrimentum tertii? numero 38.
Qualiter hoc tertii detrimentum sit intelligendum? n.39.
An obliget juramentum, quando lex non tantùm contractum, sed illud irritat? n.40.

1 HActenus egimus, quando juramentum, ejusve exactio licita sint. Jam de juramenti promissorii obligatione agendum est. Et quia hæc potest multipliciter impediri, nempe, aut ex parte incapacitatis materiæ ad obligandum, aut ex parte ipsius jurantis, quia absque vera intentione jurandi, aut se obligandi, aut dolosè per verba, aut intentionem, æquivocè juravit: aut absque deliberatione, aut per errorem, aut metum, aut injuriam: *in præsenti capite* tractatur de materia requisita ad juramenti obligationem, & qualis hæc obligatio sit: *in sequentibus* autem agetur de defectibus ex parte jurantis. Præmittenda autem sunt aliqua circa modum, quo juramentum promissorium obligat. Primò præmittendum est, aliquos censere juramentum non obligare instar privatæ legis, quam jurans sibi imponit, ut dicunt DD. obligare votum ipsum. Non enim juramentum est lex, sed invocatio divini testimonii, quod longè aliud est: atque ita dicunt obligari quempiam juramento, quia eo ipso quòd jurat, tenetur præcepto religionis id implere. Ita *Valent. 2. 2. disput. 6. q.7. punct.4. in initio*. At discrimen hoc inter juramentum, & votum minimè placet. Cum enim utriusque obligatio ex sola voluntate hominis eo vinculo se adstringentis consurgat, utrumque est privata lex ab ipso homine sibimet imposita; in voto quidem, per fidem Deo datam, in juramento autem promissorio, per eamdem fidem invocato divino testimonio, quasi fidejussore. Nec obstat juramentum obligare eo ipso, quòd quis jurat, ex virtute religionis: quippe idemmet in voto contingit. Dicitur autem utrumque privata lex, quòd fons, & origo utriusque obligationis, sit sola privata hominis eo vinculo se ligantis voluntas. Atque ita *Joann. à Metina tract. de confessione quæst. de dispensatione super confessione revelanda, in solutione, ad secundum*, optimè impugnat differentiam ab aliquibus constitutam, inter juramenti, & voti obligationem, ut illa ex deliberata verborum attestatione nascatur: hæc autem ex voventis intentione. Atque hæc sententia conformis sententiæ, quam *cap. sequenti, numero octavo*, amplectemur, & ampliùs declarabimus. Prior autem est juxta priorem *ibi num. septimo* referendam.

2 Secundò præmittendum est, ex quo præcepto hæc juramenti promissorii obligatio consurgat. Et quidem si agamus de circumstantiis necessariis, ut licitum sit juramentum tempore, quo fit, nempe, veritate, justitia, & judicio, constat eas ex præcepto negativo non usurpandi nominis Dei in vanum, esse adhibendas: & aliquando quoque ex præcepto affirmativo. Nam quoties quis tenetur jurare, tenetur eodem affirmativo jurandi præcepto id juramentum rectè usurpare. Ut benè ait *Valentia eodem punctio quarto, paulo post principium*. Hoc tamen intelligo verum, quo ad solam juramenti veritatem, ad quam eruendam id tendit. At si irreverenter, aut ex

ex parvo fine tunc juretur, non esset contra id affirmativum præceptum, sed contra solum dictum negativum. Sicut juxta communem sententiam præceptum recipiendæ Eucharistiæ in Paschate non obligat ad dignam receptionem, sed ea obligatio est ex vi alterius præcepti divini ad religionem pertinentis. Si verò loquamur de obligatione exequendæ promissionis juramento firmatæ, ea ligat ex solo affirmativo religionis præcepto, sive jusjurandum sit de aliquo affirmativo, ut de aliqua re facienda; sive de negativo, ut de non facienda. Ut benè docet *Valentia* proximè relatus. Quia ad religionis obligationem, quam juramentum, & votum ex se respiciunt, id solùm spectat, ut Deo honos tribuatur ei fide servata, sive simpliciter detur, sive stabilita attestatione sui nominis. Hoc autem est quid affirmativum, sive promissio de aliquo affirmativo, sive de negativo sit. Intelligo autem o. bligare ex vi solius religionis, si præcisam juramenti naturam consideremus, nam si promissio jurata homini acceptanti fieret, obligaret utique etiam ex justitia. Sicut de promissione simplici probavi *lib. 1. de matrimon. disputat. 5. num. 20.*

3 Tertiò præmittendum est, obligationem juramenti promissorii implendi esse ex genere suo sub mortali. Quia res gravissima est, reddere verum testimonium divinum, implendo promissionem eo confirmatam. Atque ita fatentur omnes, solumque discordant, quando juramento promissæ deficitur. De quo diximus *c.4. à n.21.*

4 Quartò præmittendum est, utra obligatio major sit, voti, an juramenti. Et quidem si loquamur de juramento assertorio, manifestum est obligationem juramenti esse majorem, nec de hac loquuntur DD. Et ratio est, quia obligatio veritatis dicendæ, quam includit juramentum assertorium, pertinet ad præceptum negativum, ut ex forma præcepti constat, *Non assumes in vanum nomen Dei tui*. Atque obligat ad non irrogandam Deo gravissimam injuriam, negando illi, quatenus est ex parte pejerantis, esse summam veritatem nec fallere, nec falli potentem. At obligatio voti pertinet ad præceptum affirmativum, ut ex ipsa forma apparet, *Reddes Domino vota tua*. Et obligat ad servandam Deo fidelitatem. At pejus est injuriam passivam directam alicui irrogare, quàm esse illi infidelem deficiendo à fide data. Et ita docent *Suarez tom. 2. de religione, tractatu de iuram. lib. 2. cap. 3. num. 5. Leonardus lib. 2. de iustitia cap. 42. dub. 11. numer. 53. & 54.* Rursus si juramentum rei futuræ factum Deo contineat promissionem, manifestum est magis obligare, quàm votum. Quia continet obligationem voti, & juramenti. Et ita benè docet *Leonardus ibid. num. 52.* Quare dum DD. disputant, utra sit major obligatio, intelligunt, quando in eo juramento nulla est promissio modo, quem explicabimus *num. seque.* Vel si contineat promissionem, loquuntur spectata sola jurisjurandi obligatione. In qua quæstione gravis est controversia inter DD. de qua latissimè *Michael à Metina l. 5. de sacrorum hominum continentia, à cap. 22.* ubi majorem esse juramenti obligationem ex multis ostendit. Quod idem (& satis probabiliter) multi alii sustinent. Sed quia res hæc non multùm ad praxim confert, breviter dico probabilius esse, majorem esse voti obligationem. Quod cum *D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 8.* multi alii amplectuntur, & *Suarez.* alios referens, & latè probans, ac contraria solvens, *eodem cap. 3.* proximè allegato *à numer. 7.* Tum quia major obligandi vis ex eo, cui obligatio fit, spectanda est: at votum ex ratione sua fit Deo: juramentum autem ut sic id non petit, sed solùm afferri divinum testimonium ad confirmandam veritatem illam futuram. Tum etiam quia utriusque obligatio ex aliquo divino consurgit: juramenti quidem, ex reverentia Deo debita, eum veracem efficiendo; voti autem, ex fidelitate Deo debita. At infidelitas est majus malum, quàm irreverentia, quippe irreverentiam etiam claudit, & addit aliquid aliud: parvi enim penditur Deus, dum ei fides non servatur.

5 Quintò præmittendum est, etsi juramentum de re aliqua futura contineat regulariter promissionem illius faciendæ, aut omittendæ, posse tamen non continere illam, sive juramentum illud soli Deo, sive homini fiat. Quia sicut simplex assertio de futuro potest solum illius rei faciendæ, aut omittendæ, propositum continere, absque ulla promissione: ita juramentum potest cadere super id propositum, absque promissione aliqua. Ut potest quis jurare aliquid futurum, verbi gratia fore, ut cras pluat, vel ut Titius vindictam sumat, vel aliquid aliud efficiat, non intendendo se obligare ad jurandum id fieri. Similiter potest jurare factum proprium eodem modo, nempe, fore, ut ingrediatur religionem ipsemet jurans, testando simplex ingressus propositum absque ulla ejus promissione: ita ut non intendat jurans id promittere, sed solùm firmare voluntatem suam in eo proposito. Quod aliis exemplis declarans, & DD. referens tradidi *l. 8. de matrimon. disput. 13. num. 4.* Et ultra DD. *ibi* relatos tenent *Leonard. l. 2. de iust. c. 42. dub. 11. n. 53. versic. Respondeo tale iuramentum, Suar. tom. 2. de relig. tract. de iuram. l. 2. cap. 1. à num. 3. & cap. 2. num. 6.* Atque juramentum hoc rei futuræ non claudens promissionem, est medium inter merè assertorium, quod est propriè de re præsenti, aut præterita: & verè promissorium: & ideò imperfectè, & secundùm quid, potest dici promissorium. Quando autem non constat de intentione jurantis, utro ex his modis jurare intenderit, id erit ex circumstantiis conjectandum, & ex jurandi occasione. Quòd si omnibus pensatis res fuerit dubia, judicandum est includere promissionem. Sicut in simili tradit *Sotus lib. de iustit. quæst. 1. art. 9. ad 2. in fine*. Et in propriis terminis addit *Suarez eodem cap. 2. in fine*. Et ratio est, quia quamvis in dubio obligationis sit in benigniorem partem inclinandum, ac proinde in hoc dubio esset judicanda obligatio solius juramenti non claudentis promissionem. Ad id intelligendum est, nisi conjectura alia urgentior adsit, qualis est, ut tunc adsit quoque promissio: ea enim adest ex accidentibus communiter, ac regulariter. Quippe sunt communiter, ac regulariter, juramenta hæc promissioni conjuncta: & hic est proportionatus illa emittendi modus.

6 Quòd si inde inferas juramentum rei futuræ destitutum promissione, ac solum propositum firmans, nullam inducere obligationem, in futurum propositi illius explendi, sed contentum esse sola veritate præsenti, instar juramenti merè assertorii. Quia perinde videtur, ac si quis juraret se habere propositum illius rei exequendæ. At ea illatio est omnino neganda, & dicendum est, id juramentum ultra obligationem dicendæ veritatis de præsenti, habendo animum propositi illius explendi, inducere obligationem ad exequendam rem juratam. Probatur, quia obligatio juramenti ad exequendam rem illo stabilitam, non pendet ab obligatione promissionis, cum contingere possit promissionem esse irritam, & tamen juramentum obligare: ut contingit in juramento solvendi usuras, juxta *cap. Debitores, 6. de iureiurand.* In quo casu constat promissionem illam nil prorsus conferre ad juramenti obligationem, quod enim est irritum, nil operari potest. Ergo nil refert ad juramenti de futuro obligationem, sive promissio intercedat, sive non. Secundò, quia rectè ait *D. Thomas secunda secundæ quæst. 89. articulo septimo ad primo*, non est juranda veritas, nisi de qua aliquis firmus est. Ergo ut jurans rem futuram, rectè juret, tenetur firmiter esse certus de illa exequenda, ac proinde ex vi juramenti tenetur illam exequi. Et confirmatur; quia jurans assertionem futuram, tenetur dare illi totam veritatis firmitatem, quam potest habere, aliàs temere juraret, si non esset certus, ac firmus de veritate futura. Hæc autem firmitas consistit in animo exequendi tunc habito, & in obligatione ad exequendum in posterum. Ergo tenetur postea id exequi, ut faciat verum id quod jurat. Quare dum quispiam jurat se aliquid facturum, absque promissione aliqua, non tamen jurat se tunc habere propositum faciendi id, sed simul etiam jurat se perseveraturum in eo proposito, donec illud impleat, & ad id Deum quasi fidejussorem adducit. Atque ita optimè docent *Suarez* colligens ex *Div. Thom.* & aliis, *eodem libro secundo, cap. 1. à num. 11. usque in finem, Leonardus lib. primo, de iustitia cap. quadragesimosecundo, dub. 11. num. 53. vers. Respondeo tale iuramentum.*

7 Hinc deducitur, qualiter actio aliena verè jurari possit. Duplex enim potest esse sensus, quando quis factum alienum jureiurando affirmat. Prior est quasi speculativus, affirmando solùm factum alienum à jurante cognitum faciendum in posterum. Sicut quando quis jurat fore, ut cras pluat, manifestum enim est eum non se obligare ad diligentiam aliquam apponendam, ut pluat. Quod etiam solet contingere, quando quis consolans ægrum timentem mortem, vel quemcumque timentem aliud malum, jurat fore, ut incolumis evadat. Et in hoc casu, ne juramentum id sit falsum ratione dubii eventus, est necessaria in jurante sufficiens conjectura animo, & mente facturi id opus, vel de re illa futura: atque per verba ipsa sufficienter explicari: ut sic jurando *iuro me credere*, aut *opinari hoc futurum*, vel ex circumstantiis colligi eum esse jurantis sensum. Posterior sensus est practicus, id est, in ordine ad jurantem, ut sensus sit, se daturum operam, curaturumque, ut alter, cuius factum jurat, id exequatur, & tunc tenetur ad hanc diligentiam apponendam. Atque ita docet *Suarez eodem cap. 1. numero ultimo*. Quando tamen non constat de intentione jurantis factum alienum, est intelligendum iuramentum in hoc posteriori sensu, & manet obligatus jurans ad hanc diligentiam. Quia ne facti alieni sponsor credatur periurus, rem incertam promittendo, subintelligitur in eo iuramento, se facturum, & curaturum. Ut hæc probavi multis allegatis, *lib. primo de matrimon. disputat. 24. numero septimo*. Et præter Doctores *ibi* allegatos tenet *Suarez tom. secundo de religione, tractatu de iuramento, lib. primo, cap. 4. numero decimo*. Atque *eadem disp. 24. num. 11. & 12.* probavi ad satisfaciendum iuramento, teneri hunc absque fraude, & fictione, adhibere omnem diligentiam, quam rei promissæ qualitas posceret: atque ita non satisfacere petendo id fictè, & simulatè ab alio, ita ut ipso petendi modo voluntatem parum propensam ad id assequendum indicet. Quod vulgo *pedir por complimiento* appellamus.

8 Est autem in præsenti id discriminis inter iuramentum factum homini, non includens promissionem, & illam includens; aliæ enim differentiæ in sequentibus sunt explicandæ, nam quando non includit promissionem, habet unicam obligationem, quæ est ad Deum. Sicut de iuramento solvendi usuras dicunt Doctores. Quia cum nullam confirmet promissionem, sed solum propositum, ex quo nulla oritur obligatio, sola superest obligatio Religionis ex iuramento orta, quæ erga solum Deum est. Et sic docet *Suar. eo tract. de iuram. lib. 2. c. 4. n. 2.* At quando includit promissionem, est duplex in eo obligatio, altera Deo, & altera homini. Ut docent *D. Tho.*

2. 2. q. 89. *art.* 7. *ad* 3. *Alexand. de Novo*, *c. Debitores*, *n.* 5. *de jureju. Sanz. eod. c.* 4. *n.* 4. Et constat, quia obligatio religionis in ordine ad Deum, & iustitiæ, aut fidelitatis in ordine ad hominem, contento in eo iuramento, sunt diversæ speciei. Quare minùs verum est, quod tradunt *Cajet. eo. art.* 7. *circa solutionem ad* 3. *versic. Ad primam autem objectionem*, & *Sotus lib.* 9. *de justit. quæst.* 1. *art.* 7. *in solutione ad* 3. *paulo post principium*, *versic. Hæc autem singula*, ubi dicunt unicam esse obligationem ad hominem, innitentem duplici vinculo, nempe, promissionis, & juramenti. Quia cum nulla fiat promissio Deo, nulla videbitur ipsi obligatio acquiri. Sed respondetur non solo illo modo acquiri obligationem Deo, qui respicit ipsum tamquam creditorem, ut contingit in promissione ipsi facta; sed esse etiam aliam obligationem reverentiæ, respicientem Deum ut fideiussorem, & testem: & hæc invenitur in eo iuramento. Nec obstat, si dicas sequi non posse hominem remittere omnino id iuramentum: cum obligationem cum Deo initam remittere nequeat: nam negandum est sequi, obligatio enim illa cum Deo includit voluntatem ejus, in cujus utilitatem cedit promissio, tamquam conditionem necessariam. Quando autem iuramentum includens promissionem fit soli Deo, claudit obligationem voti, & iuramenti, si autem promissionem non includat, claudit solam iuramenti.

9 Atque primaria eius iuramenti promissorii facti homini obligatio est erga Deum, & ei acquiritur principalis obligatio, secundaria autem homini. Probatur, quia obligatio erga Deum numquam potest à iuramento separari: cum tamen aliquando separetur erga hominem, ut in iuramento solvendi iusuras. Ergo signum est illam esse primariam, & quasi intrinsecam iuramenti obligationem. Præterea, quia obligatio iuramenti est, formaliter, & per se obligatio religionis: at religio per se primò respicit Deum, eique debitum reddit. Et ita docent *Abbas c. Debitores*, *num.* 1. *notabili penult. de jureju. rand.* & *ibi Alexand. de Novo num.* 5. *Paulus repetit. quæst. Sacra. puberum*, *num.* 18. C. *si adversùs venditionem*, *Suarez eod. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 1.

10 Quòd si petas, an si quis secum iuret, aut in absentia hominis cui fit promissio, nemine acceptante legitimè nomine ipsius, se daturum aliquid illi, teneatur illi dare? *Suarez tom.* 2. *de relig. tract. de juram. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 13. & *c.* 12. *nu.* 21. & multi alii, quos retuli *lib.* 2. *de matrim. disp.* 7. *nu.* 23. affirmant. At *ibi n.* 24. cum multis aliis contrarium probavi, etiamsi iuramentum sit de non revocando: potest enim ante acceptationem legitimam petentis acceptare, revocari. Quia inducit naturam promissionis factæ homini, cui accedit, quæ est, ut includat tacitam conditionem, si ab altero acceptetur, & ante acceptationem possit revocari. Quod limitavi *ibi num.* 25. nisi promissio illa iurata fieret Deo per modum voti: & tunc quo ad relaxationem, & commutationem, sortiretur naturam voti. Et ultra Auctores *ibi* citatos utrumque docent *Leonard. lib.* 2. *de justitia cap.* 17. *dub.* 7. *num.* 52. & 56. & *c.* 42. *dub.* 4. *n.* 22. Atque credo etiam posse revocari ante acceptationem, si id iuramentum factum homini absenti, nullam contineret promissionem. Quia etsi verè non sit tunc promissorium, est instar illius, & revera fit homini, & non Deo in eius honorem.

11 His præmissis descendendo ad materiam capacem obligationis iuramenti, distinguendum est inter iuramentum factum ipsi Deo, & factum homini in eius utilitatem. Et quidem, quando Deo soli fit, nil est immorandum. Quia cum inducat naturam voti exigitur eadem materia ad eius valorem, quam votum ad sui valorem petit. Et ideò sicut votum de re mala, aut impossibili; aut indifferenti, aut impediente maius bonum, contrariaque divinis consiliis, non obligat, ita nec iuramentum de his. Quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, quasi obligare possit ad malum, *c. Quanto*, 18. *de jurejur. Regul. Non est obligatorium*, 58. *de regul. jur. in* 6. Nec Deus ad aliquid vanum, & otiosum, quale est res indifferens, aut ad aliquid ejus consiliis contrarium, obligare vult. Atque ita, quando materia est mala, aut divinis consiliis contraria, docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 2. *Cajet. summa verb. Periurium c.* 3. *Sotus lib.* 8. *de iust. qu.* 1. *art.* 7. *ad* 2. *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 6. *num.* 6. & 7. *Navarr. summ. c.* 12. *num.* 16. & 17. *Gutier. de iuram.* 1. *p. cap.* 72. *num.* 5. 6. & 7. *Barbosa l. Alia* 15. §. *Eleganter n.* 28. & 29. *ff. solut. matrimon. Aragon.* 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *statim in princip. Valent.* 2. 2. *disput.* 6. *qu.* 7. *puncto* 4. *col.* 5. *vers.* 2. *certum*, *Azor. tom.* 1. *institut. moral. l.* 11. *cap.* 5. *qu.* 1. *Suar. tom.* 2. *de religione tract. de juram. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. *Rebellus de iust. p.* 2. *l.* 1. *quæst.* 9. *num.* 13. *Leonard. lib.* 2. *de iustit. cap.* 42. *dub.* 4. *num.* 20. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 3. Atque idem docent, quando est de materia impossibili *Sotus eod. art.* 7. *ad fin. corp. Aragon.* & *Valent.* proximè citati. Animadvertunt autem benè *Sotus* & *Aragon.* secùs esse, quando materia esset difficillima: tunc enim ajunt iuramentum obligare, etsi causam relaxandi ea ingens difficultas præbeat. Et quando materia est indifferens, ita ut hìc, & nunc, attentis circumstantiis, talis maneat, docent id iuramentum non obligare, *Cajet. Navarr. Gutier. Leonard. ibid. Azor. eadem quæst.* 1. *Ang. verb. Juram.* 5. *num.* 5. *Petrus de Ledesma* 2. *tom. summ. tract.* 11. *cap.* 3. *dub.* 2. *Suar. eo l.* 2. *cap.* 16. *num. ultim.* & *cap.* 17. *à num.* 1. *usque ad* 6. *Rebellus eadem q.* 9. *num.* 14. *Sayro eodem cap.* 7. *num.* 3. & *cap.* 6. *num.* 3. *Toledo l.* 4. *summi cap.* 22. *num.* 3. Et idem dicendum est, quando finis iuramenti est malus, cum distinctionibus, quas adhibemus in *l. seq.* tractantes *de voto*, cujus finis est malus. Et tradunt *Sotus*, & *Aragon.* proximè alleg. *Azor. eo c.* 5. *q.* 2. Atque in tractatu *de voto* latissimè de hac iuramenti materia differendum est, ubi quando est partim mala, partim possibilis, & partim impossibilis, vel sub pluribus conditionibus, quarum altera est possibilis, &c. Et *ibi* etiam de juramento non mutuandi, & non fidejubendi.

12 Atque hoc verum est, etsi id iuramentum factum soli Deo non includat promissionem, sed tantùm simplicem, assertionem honesti operis faciendi in Dei honorem. Quia etsi propriè non sit votum, utpote quod promissione destituitur, induit tamen voti naturam, cum instar illius soli Deo in ejus honorem fiat. Et ita docet *Suar. eod. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 18. Quod verum est, etsi non sit expressè, & directè id opus relatum in Dei honorem. Quia etsi non referatur in Deum, cum tamen non juretur alicui tertio in ejus utilitatem, sed soli Deo, & sit opus honestum, refertur ex ejus materiæ natura in Deum. Et docet *Suarez eo c.* 12. *nu.* 23. & 24.

13 Hinc deducitur, quid dicendum de doctrina *Glossæ c. finali*, *verb. Confirmavit* 22. *qu.* 4. ubi affirmat non posse jurantem propria auctoritate contravenire juramento materiæ malæ, sed indigere relaxatione. Et potest probari ex *c. Venerabilem*, 33. *versicul. idem etiam*, *de electione*, ubi dicitur juramento illicito non contraveniendum absque superioris auctoritate. Et ex *c. Cum quidam* 12. §. *Ultimo*, *de iureiur.* ubi dicitur præstantes juramentum de non loquendo parentibus aut fratribus, & de non exhibendo eis humanitatis subsidio, absolvendos esse ab ejus iuramenti observantia eò quòd id juramentum illicitum sit. Sed dicendum est, id iuramentum nulla indigere relaxatione, sed posse jurantem propria auctoritate ei contravenire. Cum constet id obligatorium non esse. Atque idem est dicendum de juramento facto Deo contra consilia Evangelica. Quia constat etiam id juramentum non obligare. Et ita docent *D. Thom. Navarr. Covarr. Cutier. Barbosa n.* 11. relati, *Sayro in clavi regia l.* 5. *c.* 8. *num.* 13. Atque ob eamdem rationem est dicendum, si materia sit omnino indifferens, aut omnino impossibilis. Nec obstat textus in *c. Venerabilem* quia intelligitur, quando res non est clara, sed dubia, an valeat, necne. Ut benè docent *Glossa ibi*, *verbo Venire*, *Suar. eod. tract. de iuram. l.* 2. *c.* 18. *num. ult.* Ad textum autem *c. Cum quidam*, *Glossa*, *ibi verb. Absolvendi*, & multi alii, quos refert, & sequitur *Covarr. de pactis* 2. *p. in initio*, *num.* 4. reprobato intellectu aliorum, quos *ibi* refert, explicant, ut ea absolutio petatur, non tamquam necessaria, sed ad cautelam. Vel secundò explicat *Covarr.* ut ea absolutio non sit à juramento, sed à peccato admisso jurando rem malam. Sed neuter intellectus placet. Non prior, quia cum res promissa sit apertè mala, & ea ratio reddatur in ipsomet textu, nulli usui deserviret ea cautela, imò dedecet jus canonicum eam petere, quasi in dubium revocet, an juramentum rei pessimæ obliget. Non posterior, quia textus expressè dicit jurantem, absolvendum esse à juramenti observantia, & addit, injungendam ei pœnitentiam, eò quòd malè jurarit. Ubi clarè distinguit absolutionem à juramenti observantia ab absolutione peccati malè jurandi. Et ideò intellectus legitimus est, jurantem absolvendum esse à juramenti observantia, idest, declarandum esse eum absolutum, & liberum ab ejus observantia, solamque pœnitentiam esse injungendam pro peccato malè jurandi. Sicut dum aliquem à culpa, vel ab obligatione aliqua liberum esse significare volumus, solemus dicere, *te ab his absolvo*. Et sic explicat *Suarez eodem lib.* 2. *c.* 15. *n.* 8.

14 Imò, quotiescumque materia est incapax obligationis juramenti, uti si sit contra consilia, ut non ingrediendi religionem, est peccatum abstinere ab eo consilio implendo, virtute juramenti. Quod sic explicatur. Dupliciter potest jurans non ingredi religionem, prout juravit: primò materialiter, idest, non virtute iuramenti, & quasi illo coactus; sed quia vult uti sua libertate, qua non tenetur ad id opus, & sic non peccat. Et hoc est quod ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 2. receptus ab omnibus, peccare hunc iurando, non tamen peccare implendo, quod iuramento promisit. Secundo modo formaliter, idest, ex vi juramenti, & quasi illo coactus, & hoc est peccatum. Quia contra iuramenti reverentiam est, illius prætextu, & occasione rem consilii omittere. Præterea, quia cum obligatio illius iuramenti sit mala, erit quoque malum operari virtute illius, utpote quod est illius approbatio. Et hoc est quod dixi *lib.* 1. *de matrimonio disput.* 32. *num.* 21. in confirmatione secundi argumenti, ubi enim aliis Doctoribus probavi juramentum solvendæ pœnæ in sponsalibus appositæ, non obligare, tamquam iuramentum rei malæ: eò quòd esi sponte solvere eam pœnam non sit malum, & eam solvere virtute promissionis prioris malæ est malum. Et hoc est quod dicit *D. August.* relatus *cap. Inter cætera* 22. *quæst.* 4. loquens de iniquo iuramento non subveniendi matri, *Foveat itaque Hibaldus matrem*, & *fratres*, & *lugeat*, *si coactione*, & *timore iuramenti*, *aliquid defuit matri*. Atque ita docet *Suarez eodem libro secundo*, *cap. decimoseptimo*, *numero ultimo*, & *cap.* 22. *numer. octavo*. Qui in neutro loco explicat, qualis culpa sit impletio hæc formaliter iuramenti. Sed existimo dicendum talem esse culpam, qualis fuit emissio iuramenti: quare si quis iuravit se interfecturum hominem, & postea ex vi juramenti, & ut illud impleat, interficit, est nova culpa sacrilegii mortalis, ultra homicidium. Quia eadem est irreverentia in emittendo, & in implendo formaliter. Cum divini nominis invocatio deserviat in utroque eventu tamquam vinculum, & instrumentum ad iniquitatem patrandam.

15 Ex his deducitur primo juramenta inter emendum, & vendendum, usurpari solita, non emendi auctiori pretio, aut non vedendi viliori, minimè esse obligatoria. Quia neutrum ad Dei obsequium, aut hominis, cui fit, utilitatem pertinet.

16 Secundò deducitur, juramenta parentum, herorum, aut dominorum, quibus jurant se punituros filios, famulos, aut servos, communiter non obligare; quia communiter fiunt ex ira & passione, atque animo vindictæ sumendæ, & sic non sunt de actu virtutis, quinimò promissio illa sit sub ratione culpæ. Quòd si aliquando ad debitam correctionem ordinantur, & ita obligant; at sæpè ea in melius commutant, abstinendo ab ea punitione. Quòd judicent melius esse non punire, ne placata jam domus fletibus conturbetur, vel ne puniti fiant deteriores causa supplicii. Ita docent *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 89. *articul.* 7. *dub.* 1. *vers. Inspice igitur*, & *in summ. verb. Minari*, & *verb. Perjurium*, *ad finem*, *Armilla verb. Juram. numer.* 12. *Tabiena verb. Jurare quæst.* 10. *numer.* 11. *Navarr. summ. Hisp. cap.* 12. *numer.* 10. *Pedraza summ. in* 2. *præcepto* §. 6. *Sayro in clavi regia*, *l.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. *Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 7. *puncti.* 3. *col.* 11. *in solutione ad* 3. *Toledo l.* 4. *summ. cap.* 22. *numer.* 7. Erit quoque causa justa ut cesset obligatio hujus juramenti ad justam punitionem ordinati, quando mutatur status rei, ut si servus, vel filius veniam petat corrigi paratus. Ita *Cajet.* utroque loco *summ. Toledo*, & *Sayro ibid.* Similiter erit justa causa, si amicus veniam illis concedi petat. Ut benè docent *Cajet.* eod. utroque loco *summ.* & *Sayro ibid.* Quoties autem justa excusandi causa abest, transgressio horum juramentorum excusatur à mortali ratione parvitatis materiæ. Ut benè ait *Sotus l.* 8. *de justitia qu.* 1. *art.* 7. *col.* 6. *versic. Quarto id denique*. At si ea punitio in bonum correctionis jurata expediret maximè ad Dei obsequium, dicendum necessariò esset obligare sub mortali. Quia materia est gravis. De eo autem juramento quo solent prædicti sic jurare, *si te arripuero*, *te interficiam*, benè ait *Sayro eo c.* 5. *nu.* 12. non esse mortale, si non habent animum arripiendi. Quia juramentum non est arripiendi, sed puniendi data ea hypothesi. Est tamen opus, ne sit perjurium mortale, habere animum puniendi, si arripuerint. Et quamvis verba sonent mortem inferendam, benè ait *Sayro ibi* esse hyperbolicam locutionem. Existimo tamen esse opus animo graviter puniendi. Quippe is est sensus ejus hyperboles.

17 Atque idem dicendum est de juramentis puerorum leviter jurantium se accusaturos alium puerum coram parentibus, vel magistro. Quippe excusantur ab omni culpa transgrediendo, eò quòd gratia sumendæ vindictæ communiter jurent: vel si in bonum correctionis jurent, omittunt causa melioris boni, ut vitandi inter se rixas. Et esto hoc non esset, excusantur à mortali transgressionis peccato ratione parvitatis materiæ. Ut *n. præced.* diximus de similibus parentum juramentis.

18 Tandem infertur, quid dicendum sit de juramentis urbanitatis gratia præstari solitis, in ingressu, vel egressu alicujus loci, non ingrediendi, aut egrediendi priùs. Dicendum est non violari juramentum, nec peccari contraveniendo. Tum quia ejusmodi juramenta imbibunt tacitam conditionem, nempè, *quòd ad me attinet*, *non præcedam*, & ita non violat juramentum, quando altero contendente præcedit. Tum etiam, quia id jusjurandum cedens in alterius honorem potest ab ipso remitti, & revera remittitur quando alter jure suo cedens contendit, ut alter transeat. Et ita docent *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *dub.* 2. *vers. Ad secundum autem dubium*, & *In summa*, *verb. Perjurium cap.* 3. *Armilla verb. juram. num.* 11. *Navarr. summa Hispana cap.* 12. *n.* 11. *Tab. Sot. Valent.* ubi eos retuli, *numer.* 16. *Alcozer summ. cap.* 15. *ad finem*, *Azor. tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *c.* 4. *qu.* 4. *Leonard. lib.* 2. *de justitia cap.* 42. *dub.* 4. *num.* 22. *Suar. tom.* 2. *de religione*, *tract. de juram. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. *Sayro in clavi regia lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 14.

19 Hactenus egimus de materia petita ad juramenti præstiti soli Deo obligationem. Superest agendum, quando præstatur homini in ejus utilitatem. Qua in re ea regula generalis est. Ut hujusmodi juramentum obliget, id tantùm spectandum est, an res illa juramento promissa possit absque peccato mortali, & veniali impleri à jurante. Quare tunc tantùm non obligat, quando sine culpa etiam veniali jurantis impleri nequit. Constat ex *cap. Quamvis pactum* 2. *de pactis*, *in* 6. & *cap. Cum contingat*, 28. *de jurejur.* Ubi tamquam regula generalis traditur, juramentum homini præstitum, quod absque salutis æternæ dispendio servari potest, esse necessariò servandum. Nomine autem dispendii salutis æternæ, intelligitur secundùm omnes, quod etiam sine peccato veniali servari nequit, quippe etsi non impediat salutem æternam, disponit ad illam perdendam. Et idcò hanc regulam generalem tradunt *Abb. eo cap. Cum contingat. nu.* 7. *Molina tom.* 1. *de just. disp.* 149. *col.* 3. *vers. His exemplis*, & *tota column. seq.* & *tom.* 2. *disputat.* 171. *column.* 5. *versic. Hoc tamen loco*, *Suar. tom.* 2. *de religione*, *tract. de juramento*, *lib.* 2. *cap.* 22. *numer.* 3. & nos quoque tradidimus *lib.* 1. *de matrim. disputat.* 32. *numer.* 1. Quare etsi votum rei indifferentis, vel rei bonæ impedientis majus bonum, non obliget, & consequenter nec juramentum ejusdem rei soli Deo præstitum: ut *numer.* 11. diximus, at si juramentum homini præstetur in ejus utilitatem, obligabit utique, etsi impediat majus bonum. Ut rectè docent *Pal.* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *numer.* 29. *Sylv. verb. Juramentum* 4. *quæst.* 20. *Suarez eodem lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 14. *Rebell. de just. part.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 9. *num.* 4. & *num. ultimo*, *Molina eadem disput.* 149. proximè citata *Leonard. lib.* 2. *de just. capit.* 42. *dub.* 4. *numer.* 20. Similiter etiam obligabit, quamvis materia illa homini promissa sit in se indifferens. Ut benè docent *Suarez eo lib.* 2. *toto cap.* 16. & *cap.* 22. *numer.* 3. *Leonardus eo dubio* 2. *num.* 20. & 21. *Sayro in clavi regia lib.* 5. *capit.* 5. *num.* 3. *in fine*, *Molina* proximè citatus. Et clarè videntur tenere *Angelus verbo Juramentum* 5. *numer.* 5. & *Navarr. summa cap.* 12. *numer.* 17. ubi dicentes juramentum rei indifferentis non obligare, ut si quis juret se non aditurum emendi gratia apothecam alicujus, vel causa coquendorum panum furnum alicujus, id temperant, nisi id juramentum præstaretur homini ex aliquo pacto cedente in ejus utilitatem, ut si illi juraret se non aditurum aliam apothecam, nisi suam, vel alium furnum, nisi suum. Hujus autem discriminis inter juramentum Deo præstitum, seu votum, & juramentum præstitum homini, ea est ratio. Quia juramentum promissorium de re non illicita, eatenus ad sui impletionem obligat, quatenus is, cui est præstitum, vult illud impleri. Deus autem indifferentia, & majus bonum impedientia non vult in suum obsequium impleri: & ideò id juramentum Deo factum non obligat, sed debet esse necessariò de re moraliter bona, & quæ majori bono non sit impedimento. Cum tamen homo indifferentia, & majus bonum impedientia velit, ac in ipsius utilitatem cedere possint, inde est, ut juramentum de his homini præstitum obliget. Et confirmatur, quia juramentum ducendæ fœminæ ipsi præstitum obligat, quamvis impediat majus capitatis bonum, nec licet juranti eligere cœlibem vitam absque voto. Ut probavi *lib.* 1. *de matrim. disputat.* 46. *numero* 4. Cum tamen id juramentum factum soli Deo sit prorsus irritum, nisi in raro casu, in quo melius esset juranti matrimonium inire, ob frequentes carnis lapsus. Præterea quia etsi juramentum rei indifferentis, ut sic, obligare nequeat: ut optimè docet *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *circa solutionem ad* 3. *in* 1. *dubio*, *versic. Ad videntiam hujus*, eamque reddit rationem, quia cum non detur actus indifferens in individuo si non est bonus, debet esse malus saltem venialiter, & otiosus, ac proinde erit juramentum rei malæ. At quando utilitatem alicujus respicit, sic per illam relationem actus bonus, vel misericordiæ, vel liberalitatis vel humanæ amicitiæ, vel fidelitatis. Quod optimè explicuit idem *Cajetan. in summ. verb. Perjurium c.* 3. dicens materiam esse indifferentem, ne juramentum obliget, quando nulla est ratio boni honesti, utilis, aut delectabilis. Tandem quando non potest res juramento promissa impleri absque culpa etiam veniali, juramentum non obligare constat. Quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, *cap. Quanto* 18. *de jurejur.* At esset illius vinculum, si obligaret ad sui executionem cum culpa veniali. Item quia implicat obligari quemquam ad culpam venialem. Utrum verò sit necessarium ad hanc obligationem, actum promissum esse actum virtutis, dicemus *c.* 11. *n.* 3.

20 Et quamvis videatur hæc regula habere verum in solo juramentum continente promissionem illi homini factam: quia quando non claudit promissionem, sola religionis erga Deum in illo obligatio reperitur, ut diximus *numer.* 8. videtur de eo judicandum, ac de voto. Sed benè *Suarez eo lib.* 2. *capit.* 12. *à numer.* 22. *usque ad* 22. dicit judicandum de hoc juramento, ac de continente promissionem. Quia etsi juramentum id non contineat propriè pactum, aut promissionem: at verò fit proximo, & in ejus utilitatem; & ideò ad veritatem juramenti spectat, ut veritas impleatur, sicut prolata est. Atque judicatur de illo, sicut de claudente promissionem.

21 An verò non obstante eo juramento matrimonii, aut alicujus obsequii præstandi homini, liceat transitus ad religionem, & statum perfectiorem, etiamsi pactum expressum sit non transeundi: & quid de juramento admissorum ad quædam collegia, quo jurant se non fore religiosos inconsulto collegii Præfecto: & an admissi ad Anglicum collegium juramento præstito eundi ad docendam fidem in Anglia, finitis studiis, possint ad religionem transire, dicemus *lib. seq. c.* 19.

22 Nec hanc juramenti præstiti homini obligationem impedit, si juramentum in se illicitum sit: quamtumvis non sit illicitum, si materia illo promissa possit absque culpa observari, obligabit utique. Constat ex *c. Etsi Christus* 26. *de jurejur.* & *c. Mover* 21. *q.* 1. ubi dicitur jurantem per creaturas teneri juramentum rei licitæ observare, non obstante peccato admisso in juramento. Præterea quia cum id juramentum sit rei licitæ, potest servari absque culpa. Ergo est necessariò servandum, juxta regulam *num.* 19. traditam. Atque ita docent *Abb. c. Cum contingat*, *num.* 6. *de jurejur. Alex. de Novo dict. cap. Etsi Christus*, *num.* 11. *Corneus auth. Sacr. puberum*, *numero* 38. & 39. *C. si adversus venditionem*, & *ibi Igneus in repetitione*, *num.* 47. *Fulg. num.* 10. & 11. *Cumanus*

l. Si quis pro eo, in princip. num. 15. *ff. de fidejussoribus, Molina tom.* 2. *de just. disp.* 510. *col.* 11. *fol.* 1846. *Suarez eod. l.* 2. *cap.* 24. *num.* 2. *&* 3. Atque idem dicendum est, quamvis jus prohibeat juramentum in aliquo contractu interponi, si .n. ulteriùs non procedat reddendo materiam juramenti illicitam, obligabit adhuc juramentum. Hoc est contra *Bartolum auth. Decernit jus, num.* 1. *C. de receptis arbitris*: ubi dicit quotiescumque lex interdicit juramentum adhiberi alicui actui, illud non obligare. Et reddit rationem, eò quòd jurans peccet mortaliter contra legem. At hæc ratio nullius est momenti, tantùm .n. probat id juramentum esse illicitum; quòd ejus obligationi minimè obstat, si de re licita emittatur. Quippe jurando absque aliquo triplici juramenti comite, aut juramento continente blasphemiam peccatur contra jus divinum; cum tamen nemo dubitet juramentum obligare. Et ita docent *Gloss.* c. 2. *verbo Sacr. de arbitris*, & ibi *Abb. n.* 8. *Barbosa l.* 1. *p.* 1. *n.* 70. *ff. solut. matrim. Suarez* proximè relatus, *Molina tom.* 6. *de just. disp.* 35. *numer.* 2. Quod si lex irritaret quoque id juramentum, an tunc obliget, dicemus *n.* 40.

23 Nec impeditur etiam prædicta juramenti obligatio, quamvis promissio illa juramento firmata sit illicita ratione alicujus prohibitionis, aut circumstantiæ adjunctæ: si enim sit de re licita, adhuc obligabit juramentum. Ut si prælatus præcipiat subdito, ne ipso inconsulto aliquid promittat, promissio illa inconsulto prælato facta erit illicita; at si rei licitæ sit, obligabit juramentum illius servandæ. Ratio est, quòd illa promissio iniqua non sit objectum hujus juramenti, nec enim hic se promissurum jurat, tale enim juramentum, ut rei iniquæ non obligaret; sed jurat materiam illius promissionis, quæ bona est. Et confirmatur, quia si quis justa causa ductus voveat nil se inconsulto confessore promissurum, & postea eo inconsulto votum emittat, peccat quidem vovendo; at votum obligat. Ut *lib. seq.* ostendemus. Atque ita docent *Molin. tom.* 1. *de just. disp.* 149. *col. pen. vers. Ut ad priorem, & disp.* 153. *col.* 6. *paulo ante solut. ad* 1. *& tom.* 2. *disp.* 271. *col.* 5. *vers. Hoc tamen loco, Suar. eo l.* 2. *c.* 24. *à n.* 4. *usque ad* 7.

24 Imò quamvis ea promissio reddatur jure irrita, obligabit adhuc juramentum illius implendæ. Quia ahuc promissio hæc potest sine peccato impleri. Sicut promissio solvendi usuras est jure naturali irrita, & tamen juramentum illas solvendi obligat, *c. Debitores* 6. *de jurejur.* Atque ita docent *Molina* eod. triplici loco relato *n. prec. Suarez eod. c.* 24. *nu.* 8. *vers. At verò quando promissio, & duplici n. sequ.* cui benè addit juramentum tunc non obligare virtute promissionis, cum ea sit irrita, & proinde nullam obligationem inducat, sed virtute veritatis jurejurando assertæ, & ideò nec rem juratam exequendam esse virtute promissionis, sed ratione assertionis in eo juramento incluſæ.

25 Monuerim tamen non solùm materiam reputari malam, ut juramentum deobliget, quando est de actibus, qui secundùm se sunt peccata, sed etiam quando est de actibus, ad quos obligari est culpa, idest, quando talis est materia, ut omnis obligatio, sive promissionis, sive juramenti illi repugnet, etiamsi talis actus aliàs sponte factus non sit malus; at si fiat ex vi promissionis etiam juratæ, est malus: id .n. sufficit, ut juramentum non obliget. Quare hac ratione *lib.* 1. *de matrim. disp.* 32. *nu.* 21. in prima confirmatione secundi argumenti, diximos juramentum adjectum pœnæ in personalibus appositæ non obligare. Quia etsi solvere illam pœnam propria sponte non sit peccatum, at est tale, quando solvitur ex obligatione promissionis, aut juramenti; quia sic soluta habet rationem pœnæ, & proinde minuit libertatem matrimonii, in quo posita erat ratio talis culpæ. Sic docet *Suarez eo lib.* 2. *c.* 22. *n.* 8. *& c.* 24. *n. penult. & ult.*

26 Ex his deducitur primò, non obligare juramentum materiæ appositæ rei priùs votæ, aut juratæ, quando votum illud prius & juramentum obligabant; ut si quis voto castitatis, aut juramento illius ligatus, promittat juramento fœminæ matrimonium, juramentum hoc non obligat. Quod per se notum est, eò quòd sit juramentum rei iniquæ. Atque idem dicendum est ob eamdem rationem, quando juramentum est contra simplicem priorem promissionem tunc obligantem. Quod benè docent *Ang. verb. Juram.* 5. *num.* 14. *Sylv. verbo Juram.* 4. *q.* 12. *Covarr. de pactis* 2. *p.* §. 2. *num.* 4. *vers. Caterum, Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 11. *c.* 6. *q.* 1. *&* 2. *Suarez eo lib.* 2. *c.* 19. *num.* 10. Et hac ratione *lib. primo de matrimon. disp.* 50. *nu.* 2. probavi sponsalia jurata contra priorem simplicem promissionem obligantem, minimè obligare, ubi multos retuli, contra alios *ibi n.* 1. relatos. At si jam prior promissio non obligaret, quia fuberat causa recedendi ab ea, obligaret utique juramentum, quia est de re licita. Et ita probavi *ea disp.* 50. *num.* 4. cum *Sylv. verb. Sponsalia qu.* 10. *d.* 1. Si tamen tunc temporis prior promissio obligabat, quamvis postea non obliget, quia pars remittit, vel ob quamvis aliam rationem, adhuc juramentum non obligabit. Quod probavi *eadem disp.* 50. *n.* 6. contra alios, quos *ibi* retuli *num.* 5. Et nobiscum tenet *Suarez eodem lib.* 2. *c.* 19. *à n.* 16. Quia quod ab initio validum non est, tractu temporis, non convalescit *Regula Non firmatur* 18. *de reg. juris, in* 6. Et aliis rationibus *ibi* probavi. Quod intelligendum est, nisi constiterit jurantis intentionem fuisse obligare se pro tempore, quo fuerit licitum. Sic limitat *Suarez eo c.* 19. *n.* 19. & idest per se notum, quia fuit juramentum rei licitæ.

27 Secundò deducitur, quid dicendum sit de promissione prodiga jurejurando firmata. Quidam censent eam solùm obligare quo ad quantitatem, in qua nulla est prodigalitas, non verò quo ad incrementum. Ducuntur quòd sit promissio rei venialiter malæ quo ad id incrementum. Sic tradunt *Sot. l.* 4. *de just. q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. *vers. An verò contra, et l.* 8. *q.* 1. *art.* 7. *ad finem corporis, vers. In quarta, Martin. de Ledes.* 2. *p.* 4. *quæst.* 18. *art.* 5. §. *Circa* 2. *memb. fol.* 264. *column.* 2. *Mercado lib.* 6. *de contract. c.* 16. §. *Todas las vezes, Palacios l.* 5. *de contract. c.* 11. *fol.* 479. *vers. Verùm adhuc difficultas urget, Salon.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *controv.* 4. *post* 3. *conclus.* §. *Ex quo sequitur, Bannez eo art.* 5. *dub.* 5. *conclus.* 3. *Manuel.* 2. *tom. summ. c.* 40. *num.* 4. *Aragon.* 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *statim in princip. Suar. eod. lib.* 2. *c.* 23. *in fine*. Quamvis autem hoc sit satis probabile; at non minus probabile est, integrè obligare. Quod sustinet *Molinat.* 2. *de just. disp.* 271. *col.* 3. Quia etsi in modo prodigè promittendi sit culpa, non tamen est ex parte rei promissæ: & licèt à principio promittendo liberè eam quantitatem sit prodigalitas, at in executione ea non reperitur, nec aliqua culpa, sed impletio debiti jam contracti. Sicut optimè *Cajet.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *& Valent.* 2. 2. *disp.* 5. *qu.* 6. *punct.* 5. *fol.* 912. *vers. Quamobrem eruditè*, dicunt in promissione mercedis meretrici facta esse culpam, quòd si approbatio actus turpis, & ad eum inductio: at in solutione post actum turpem nullam esse culpam, sed debiti ex justitia solutionem.

28 Tertiò deducitur, quid dicendum sit de promissione jurata facta homini ob finem turpem, quando talis promissio est rei licitæ. Quidam docent obligare. Ita *Sot. lib.* 7. *de just. quæst.* 1. *art.* 3. *column.* 12. *vers. Quod si contra, Arag.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. *dub.* 2. *circa concl.* Sed intelligendi sunt post patratum ab eo homine crimen, secùs ante. Quia ordinatur ad finem turpem, & ut alter crimen perpetret, & imò ante illud perpetratum tenetur uterque contractum dissolvere: at eo jam patrato, nulla est culpa in rei promissæ solutione, sed impletio debiti justitiæ. Et ita docent loquentes de promissione facta fœminæ, ut corporis sui copiam faciat, *Cajet.* 2. 2. *qu.* 23. *art.* 7. *ad* 2. *Covarr. reg. Peccatum* 2. *p.* §. 2. *n.* 1. *Mol. tom.* 1. *de just. disp.* 94. *concl.* 2. Quod intelligendum est, nisi solutio quoque iniqua sit. Ut contingit in solutione simoniaca pro re spirituali alicui vendita, peccatur enim solvendo.

29 Quartò deducitur, juramentum de materia interdicta per quamcumque legem, sive naturalem, sive divinam positivam, sive canonicam, sive civilem, quando talis lex obligat ad culpam, nullas obligandi vires fortiri: quia est rei iniquæ. Id tamen discriminis est (ut optimè notat *Suarez eo. l.* 2. *cap.* 20. *num.* 3. 4. *et* 5.) quia cum leges canonicæ, & naturales, & divinæ positivæ, dirigantur per se primò ad componendos animi mores, obligant semper ad culpam, & ideò juramentum de materia per illas interdicta, numquam obligat. At cum leges civiles per se primò ordinentur ad mores civiles, & politicos, non semper obligant ad culpam. Ut constabit ex dicendis à *num.* 32. & ideò juramentum de materia prohibita per leges civiles, quandoque obligat, nempe, quando ea prohibitio non obligat ad culpam.

30 Tandem deducitur intellectus ad *Regulam, Non est obligatorium* 58. *de regulis juris, in* 6. ubi dicitur juramentum contra bonos mores non esse obligatorium: intelligitur enim, quando est contra bonos mores naturales, idest quibus homo efficitur bonus, & quibus contravenire est peccatum, sive ratione prohibitionis legis naturalis, sive divinæ positivæ, sive canonicæ, sive civilis. Quod est dicere, quando juramentum illud nequit absque culpa mortali, vel veniali observari. Secùs autem si sit contra solos bonos mores civiles; quia, scilicet, res promissa potest absque peccato ullo servari; at moribus civilibus per leges civiles institutis non obligantes ad culpam adversatur. Probatur, quia in priori casu nequit juramentum absque culpa servari, secùs in posteriori. Ergo in illo obligabit, in hoc autem utique, juxta regulam *numer.* 19. traditam. Insuper contractus minorum, renuntiatio futuræ successionis, alienatio fundi dotalis prohibentur jure civili; at juramentum illis appositum obligat. Ut constat ex *auth. Sacramenta puberum, Codice si adversus vendit. capit. Cum contingat* 28. *de jurejur. capit. Quamvis pactum* 2. *de pactis, in* 6. Ergo juramentum contra leges civiles aliquas obligat. Et ita explicant eam regulam, *Abbas consil.* 95. *in fine, libr.* 2. *et dict. capit. Cum contingat, numero quinto ubi Alexand. de Nevo à numero* 21. *usque ad* 24. *et capit. Debitores, numero decimoterrio et* 16. *eodem tit. Corneus repetitione d. auth. Sacramenta puberum, numero* 41. *et duplici seq. Cumanus l. Si quis pro eo, in princ. numero* 12. *ff. de fidejuss. Minchaca de successionum creatione, lib.* 3. §. 28. *num.* 7. *juncto numer.* 10. *et* 17. *Card. Tuschus in suis practicis conclusionib. tom.* 4. *verb. Juram. concl.* 511. *numer.* 29. *Gutier. de juram.* 1. *part. capit.* 40. *num.* 4. *Molina tom.* 1. *de just. disputat.* 151. *col.* 6. *in solutione ad* 1. *et tomo* 2. *disputat.* 271. *col.* 6. *versic. Ad id unde, Azor. tomo primo institut. moral. l.* 11. *capit.* 6. *in fine, Rebellus de just. part.* 2. *l.* 1. *quæst.* 9. *num.* 1. *Leon. l.* 2. *de just. cap.* 17. *dub.* 7. *n.* 50. *Suarez tom.*

to. 2. *de relig. tract. de juram. l.* 2. *toto c.* 21. & quamvis *Covarr. de pactis* 2. *p. in principio, nu.* 1. communissimam hanc distinctionem impugnet; at omnes ejus rationes soli verborum significationi innituntur, & ideò in re non discrepat à communi sententia.

31 Quòd si peras, qualiter dignoscetur, quando lex civilis obliget ad culpam, & quando non, ut sic discernamus, quando juramentum contra bonos mores civiles obliget, & quando non? Triplici regula id explicabo, supposito hoc fundamento. Quamvis universæ leges primò, & principaliter intendant bonum commune, & sic quo ad intentionem dicantur primariò respicere bonum publicum; at quo ad executionem quædam respiciunt per se primo utilitatem privatam, & secundariò publicam, in quantum utilitas privatorum in bonum commune redundat. Hujusmodi leges sunt, quarum materia proxima est bonum uniuscudi leges sunt, quarum materia proxima est bonum uniuscudi, ut quæ consulunt imperfectioni minorum aut justque civis. Ut quæ consulunt imperfectioni minorum aut mulierum, & quibus conservantur patrimonia singulorum. Aliæ autem leges respiciunt immediatè, & per se primò utilitatem publicam, & secundariò privatam. Hujusmodi sunt, quarum materia proxima est commune bonum; ut quæ disponunt de rebus publicis, ut ne equi, arma, pecuniæ, frumentum regno extrahantur. Quæ distinctio colligitur ex *l.* 1. §. 1. *ff. de just. & jure*, & ex *Bart. l. Ambitiosa, numer.* 19. *ff. de decretis ab ordine faciendis*. Et ea tradunt *Navarr. de finibus actuum humanorum super cap. Cum minister* 23. *quæst.* 5. *numer.* 26. *Covarr. de pactis* 2. *part.* §. 1. *numer.* 6. *Matienco l.* 5. *recopil. tit.* 2. *l.* 2. *gloss.* 3. *num.* 18. *Suarez eod. l.* 2. *capit.* 26. *numer.* 2. Quod idem clarius explicant *Minchaca de successionum creatione, l.* 3. §. 28. *numer.* 24. *& Rebellus de just. par.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 9. *numer.* 9. Ut tunc dicatur lex primariò, & principaliter quo ad executionem dirigi in bonum privatum, quando ex ejus transgressione non læditur immediatè bonum commune, ut ex alienatione fundi dotalis: non enim magis reipublicæ interest, ut perveniat ad virum, quàm ad alium ex civibus. Simile est de legibus, ne minor contrahat absque curatore, & ne vir conveniatur ultra, quàm facere potest. Quia in utroque casu, quod minor amittit, vel à viro exigitur, apud aliquem ex civibus ejusdem reipublicæ permanet. Quando autem ex transgressione læditur immediatè bonum commune, dicuntur leges principaliter, & intentione, & executione, respicere bonum commune. Ut contingit in legibus incerdicentibus regno extrahi arma, equos, frumentum, &c. immediatè enim regnum ipsum ex transgressione læditur, manens indefensum, & absque alimentis. In dubio autem dicit *Suarez eo. num.* 2. in favorem boni communis esse inclinandum. At melius *Alciatus c. Cum contingat num.* 90. *de jurejur.* dicit quando lex disponit de bono, seu commodo pecuniario, videri principaliter favorem privatum respicere, & secundariò publicum. Et confert ad id *l.* 2. *in fine ff. ad municip., & Bart. l.* 1. *num.* 25. *ff. solut. matr.* ubi ait primario pertinere ad privatam utilitatem homines esse divites, & secundariò ad publicam.

32 Hoc supposito, agendo de legibus civilibus respicientibus primariò utilitatem publicam. Quidam existimant non semper leges civiles interdicentes aliquid ob bonum commune, obligare ad culpam, & ita aliquando juramentum contra illas obligare. Quia non sequitur, ut lex quoque canonica eam prohibitionem approbet, qua in materia juramenti standum est. Ita docent *Imola c. Cum contingat, num.* 36. *de jurejur. Azor. to.* 1. *instit. moral. l.* 11. *c.* 7. *q.* 1. *regula* 2. *in fine junctio vers. Sed concessis, & seq. Leonard. l.* 2. *de justitia cap.* 17. *dub.* 7. *n.* 55. Imò *Corneus auth. Sac. am. puberum, in rep. nu.* 48. ait absolutè ejusmodi juramentum obligare.

33 Quando autem primariò respiciunt utilitatem privatam; aliqui sic distinguunt. Aut ea legum prohibitio non fertur directè in personas, sed in actum, ut dicendo, *non fiat hic actus*. Et tunc dicunt non obligare ad culpam, ac proinde juramentum contra eam prohibitionem obligare. Aut directè fertur in personas, ut dicendo, *Minor non ineat contractum*, &c. & tunc dicunt obligare ad culpam, ac proinde juramentum contrarium tamquam rei malæ non obligare. Ita docent *Bart. l. Si quis pro eo* 57. *in principio, numer.* 9. *ff. de fidejussor. & auth. Sacr. pub. numer.* 15. *C. si adversus vendit. Humb. de Benenc. in repet. eiusdem auth. numer.* 24. *&* 120. *juncto numer.* 124. *Calderinus*, & alii, quos refert, & sequitur *Alciatus c. Cum contingat, num.* 97. *& seqq. usque ad* 109. *de jurejur. & ibi Bald. num.* 7. *Ang. d. l. Si quis pro eo in principio num.* 2. *& cons.* 260. *Dom. Cath. nu.* 3. ita est in meo lib. *Card. Tuschus in suis pract. concl. to.* 4. *verb. Juram. concl.* 500. *n.* 21. *&* 22. *& conclus.* 528. *nu.* 16. *&* 56. *Vasq.* 1. 2. *qu.* 96. *art.* 5. *disp.* 171. *cap.* 1. *num.* 13. *& Suar. to.* 2. *de relig. tract. de jur. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 10. defendit hanc distinctionem ab impugnatione adversariorum, quatenus illam impugnant, eo quod cum actus à personis exercendus sit, idem sit interdicere actum fieri, & interdicere personæ illum facere. Dicit enim esse æquivocationem, in verbo, *interdicere*; quia cum dicitur ferri in solum actum, non dicitur ferri quo ad obligationem exercendi, aut non exercendi actus illius, sed significat efficaciam legis tollentis robur actui facto tali modo, sive cum peccato, sive absque illo fiat; & quo ad hoc ait non ferri in personam, prohibendo illi actum, etsi auferat illi firmitatem, etiam prout ab illa persona procedit. Et concludit *n.* 11. quamvis hoc signum non sit infallibile, & per se sufficiens ad dijudicandam obligationem legis ad culpam, aut ad nullam culpam; at esse regulare, & sufficiens, nisi ex materia, vel aliis circumstantiis contrarium colligatur. Quia cum præceptum imponatur personæ quando lex vult obligare personam, cum illa directè loquitur. Et eodem *c.* 20. *n.* 8. *&* 11. *& c.* 26. *n. ult.* non admittit etiam universaliter, ut lex civilis non obliget ad culpam, quando immediatè ordinatur ad bonum privatum. Quia etiam (inquit) hujusmodi lex potest obligare ad culpam. Ut posset ludentibus interdicere in conscientia ludum aliquem. Et ita *Matienzo l.* 5. *recopilat. tit.* 2. *l.* 2. *gloss.* 3. *num.* 12. dicit legem ob bonum privatum editam posse quandoque obligare ad culpam.

34 Prima tamen regula sit. Quoties lex civilis ordinatur immediatè ad bonum commune tuendum, obligat ad culpam, & ideò juramentum de actu illo ita prohibito non obligat, tamquam rei malæ. Probatur, quia pacifci in præjudicium boni communis est renuntiare juri alieno, & in præjudicium illius agere. At nemo potest juri alieno, sed soli proprio renuntiare, *l. Juris gentium* 7. §. *Si pacisear. ff. de pactis*. Secundò ex *c. Si diligenti* 12. *de foro compet.* ubi deciditur irritum esse pactum juratum, quo fori privilegio clericus renuntiat, eò quòd id concessum sit in totius status clericalis favorem. Tandem, quia jus canonicum disponit juramentum in præjudicium tertii non obligare, ut dicemus *num.* 38. Ergo à fortiori, quando vergit in præjudicium boni communis, contra legem civilem disponentem aliquid in ejus favorem. Atque ita docent *Abb. capit. Cum contingat numer.* 5. *de jurejur. & ibi Ant. num.* 8. *Bald. numer.* 3. *& ibi Paulus num.* 4. *&* 5. *ff. de fidejussor. Idem Paulus repetit. auth. Sacramenta puberum num.* 18. *&* 23. *C. si adversus vendit. & in lectura ejusdem auth. numer.* 8. *&* 9. *ibi Ignetus in repetit. num.* 46. *Cumanus d. l. Si quis pro eo, in principio, numer.* 10. *Minchaca de successionum creatione, l.* 3. §. 28. *num.* 21. *vers. Denique quod actus, Card. Tuschus in suis practicis conclusionibus tom.* 4. *verb. Juramentum, concl.* 500. *numer.* 18. *juncto num.* 20. *conclus.* 528. *numer.* 56. *Rebell. de justitia p.* 2. *l.* 5. *quæst.* 7. *sect.* 3. *num.* 15. *& num. ult. Suarez eo. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 4. *& seqq.* Atque bene addit *Paulus repet. ejus authentica num.* 23. hanc regulam esse veram, qualitercumque lex loquatur, sive prohibendo, sive non assistendo, sive dirigendo prohibitionem in personam, sive in rem. Quia semper militant rationes adductæ.

35 Secunda regula sit. Quando lex civilis ordinatur immediatè in bonum privatorum, & ipsorum favorem, non obligat ad culpam, sive prohibitio ejus dirigatur in actum, sive in personam, & ideò juramentum de re illa prohibita præstitum homini in ejus utilitatem obligat. Probatur quia hujusmodi lex solùm favet privato, nec cogit eum non renuntiare suo favori, quando absque alicujus tertii præjudicio id facere potest; & saltem, quando juramentum adhibet. Item, quia cum principaliter in favorem illius personæ sit, non intendit ipsi laqueum jicere, ex transgressione obligando ad culpam, sed potiùs ipsi privilegium concedere, irritando illum actum. Ne quod statutum est in ejus favorem, tendat in damnum spirituale illius, contra *Regulam, Quod ob gratiam* 61. *de reg. juris, in sexto, & l. Quod favore sexto C. de legib.* Præterea, quia hujusmodi pacta contra has leges firmantur juramento, attentis jure canonico, & civili; cum tamen constet juramentum rei iniquæ eam vim non habere. Sicut utrumque probabimus *capit. decimo secundo*. Tandem, quia distinctio *Bartoli* contraria relata *numer.* 33. communiter improbatur. Quia cum actus sit necessariò à personis exercendus, eo ipso quòd interdicitur actus, interdicitur personis exercitium ipsius; aliàs inanis esset prohibitio. Et circa responsum, quod *ibi* ex *Suarez* retulimus, dicemus *numero sequenti*. Præterea, quia lex dirigit præceptum ad rem, interdicens res immobiles minoris alienari absque judicis decreto, *C. de prediis minorum sine decreto non alienandis, per totum*. Et tamen si minor alienet sine decreto, dicit textus *l. Non solum, & l. Si quidem, & l. Ad resolvendum C. eodem tit.* fieri contra legis prohibitionem. Et ideò hanc tradunt reprobata ea distinctione, *Joannes de Lignano, & Vincentius*, quos refert, & sequitur *Abbas c. Cum contingat, num.* 6. *de jurejur. & ibi Ant. num.* 8. *Imola numer.* 5. *Ancharanus repetitione cap. Canonum statuta, num.* 175. *de const. Alex. cons.* 27. *à nume.* 5. *usque in fin. vol.* 1. *Salicet. auth. Sacramenta puberum, numero* 27. *C. si adversus vendit. & ibi Paulus in repetitione, numer.* 22. *&* 23. *& in lectura numer.* 11. *Jason numer.* 51. *&* 52. *Corneus in repetit. numero* 37. *duplici sequenti, & in lectura numer.* 45. *& tribus sequentibus, Curtius in repetitione, num.* 37. *& duplici sequenti, & in lectura numero* 45. *& tribus sequentibus, Curtius in repetitione, numer.* 38. *&* 39. *Fulgos. in lectura, num.* 9. *&* 10. *Idem Paulus. l. Si quis pro eo, in principio numer.* 7. *ff. de fidejussor. & ibi Cumanus numer.* 15. *Aretinus l. Si ex cui bonis, numer.* 6. *&* 7. *ff. de verbor. obligat. Covarr. de pactis* 2. *parte* §. 2. *numero* 6. *in fine, & numero septimo Minchaca de successionum creatione, l. tertio* §. 28. *numer. vigesimo octavo, Sarraphinus* alios referens *pe privilegiis juramenti, privilegio* 83. *numer.* 70. *Gutierez dicta authent. Sacramenta puberum, num.* 38. *&* 39. Eamdem regulam absolutè, & indistinctè tradunt *Bellamera d. c. Cum contingat, num.* 23. *&* 24. *& ibi Ananias, num.* 3. *Antonius*

nhi Gomez. l. 59. Tauri, n. 4. versic. Sed his non obstantibus in solutione ad 3. fundamentum, Barbosa l. 1. p. 1. n. 69. ff. solut. matrim. Rebellus de just. p. 2. l. 5. q. 7. sect. 3. n. 15. & n. ult. Azor. t. 1. instit. moral. l. 11. c. 7. q. 1. reg. 4. in fine.

36 Nec obstat defensio, quam ex *Snar.* melius *n.* 34. ad distinctionem *Bartoli*. Quia si verbum, *interdicere*, non sumatur propriè, ut importat obligationem exercendi, aut non exercendi actus, nulla est differentia, sive legis prohibitio feratur in rem, sive in personam. Quia re vera nil faciendum jubet, aut fieri interdicit, ac proinde ad culpam non obligat. Quippe culpa necessariò debet esse contra legem aliquam. Sed tunc temporis intendit solùm lex civilis denegare valorem illi actui non fovendo illum. Et hoc est, quod dicunt *Bart. l. Sed etsi lege 28. §. Sed etsi scire, n. 4. ff. de petit. hæredit. Ant. e. Gravis, n. 11. de rest. spol. & ibi Abbas, n. 17. Imola, n. 3. Berojus n. 21. & 22. & Idem Abb. c. ad nostram, in fine, de reb. Eccles. alien. Idem Berojus c. Si quis pres. nu. 15. eo. tit. Curtius senior consil. 71. princeps defunctus, n. 13. Fel. c. De quarta, n. 31. in 3. restrict. de præscript. Balbus in repetit. l. Celsus n. 18. & 19. ff. de usucap. Menoc. de recup. poss. remedio 15. nu. 630. Card. Tuschus in suis pract. concl. to. 4. concl. 490. n. 48. Ursillus addit. ad decisionem Neapolit. 140. Matt. de Afflictis, à nu. 1. usque ad 4.* ignorantiam juris non assistentis contractui, illi tamen non resistentis, non auferre bonam fidem, quasi hoc jus ad culpam non obliget. Quod clariùs docet *Rebell. de justitia p. 2. lib. 5. q. 7. sect. 3. nu. 14.* ubi ait legem civilem non resistentem contractui, sed solùm non assistentem illi, non obligare ad culpam. Si autem verbum, *interdicere*, sumatur propriè, ut importat obligationem, tunc etiam nil discriminis est, sive prohibitio feratur in rem, sive in personam. Ut probant rationes *n. praced.* traditæ. Et ideò Doctores *ibi* relati merito eam distinctionem improbant. Nec stat etiam id, quod dixere *idem Suar. & Matienzo* relati *eodem n. 34. in fine*, nempe, posse legem in bonum privatum principaliter editam obligare ad culpam. Quia de potentia legis civilis non disputamus, sed tantùm traditur regula moralis ad dijudicandum eam non obligare ad culpam ac proinde dum aliàs non constiterit de mente legislatoris volentis obligare ad culpam, est juxta hanc regulam judicandum.

37 Nec est sufficiens obligationis ad culpam signum, quamvis illa in favorem privati edita statuat illi favori renuntiari non posse. Quia cum hæc renuntiandi impotentia tendat quoque in illius privati favorem, non debet redundare in damnum, ut obliget ad culpam, & tantùm ea prohibitio id operabitur, ne valeat renuntiatio non adjecto juramento. Atque ita docent *Aretinus, & Michaca* alleg. *n. praced.*

38 Ultima regula sit. Juramentum vergens in præjudicium tertii nequaquam obligat. Constat ex *c. Quamvis pactum, in fine, de pactis, in 6.* ibi: *Nec redundet in alterius detrimentum*. Et ex *c. Cum contingat, ad finem, de jurejur.* ubi idem habetur. Item, quia nequit jurans alteri detrimentum inferre, & sic juramentum hoc ad rem injustam obligaret. Et hac ratione *lib. 6. de matrim. disp. 34. num. 2.* probavimus aliis relatis non obligare juramentum solvendi arrhas ultra decimam bonorum partem, quod cederet in tertii præjudicium. Et ita docent *Paulus in repetitione auth. Sacr. puberum, n. 18. & 23. & ibi Corneus in repetione, n. 47. & ibi Humbertus de Bonenco, n. 143. Archid. d. c. Quamvis pactum, in fine, Paulus l. Si quis pro eo, in principio, n. 3. & 5. ff. de fidejuss. & ibi Ang. n. 5. Minchaca de successionum creatione, l. 3. §. 28. nu. 21. versic. Denique quod actus, Gutier. d. authent. Sacramenta puberum, n. 42. Seraphinus de privil. juram. 61. n. 15.* alios referens *Suarez, tom. 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 2. c. 27. n. 5.* Addit autem benè *Paulus in ea repetit. n. 23.* hoc esse verum, qualitercumque lex loquatur, sive prohibendo, sive non assistendo, sive prohibitio dirigatur in rem, sive in personam. Quia militat ratio dicta in omnibus iis eventibus. Quare minùs benè *Imola d. c. Cum contingat, num. 14. ad finem, & ibi Alex. de Nevo, n. 39.* dicunt jurantem teneri servare id juramentum, nec posse contravenire ei contractui, sed id soli illi tertio damnificato integrum esse.

39 Hoc autem præjudicium tertii debet intelligi, quando directè, & principaliter tenderet juramentum in illud, ut si fundus dotalis alienatus cum juramento debebat ex alicujus dispositione ad filios pervenire; secùs tamen si tantùm indirectè, & secundario de hoc præjudicio ageretur, ut ratione spei successionis, si res non fuisset alienata. Sic *Glossa finalis, c. Quamvis pactum, de pactis, in 6. & ibi Franc. n. 12. Dominicus, n. 11. Alexand. de Nevo c. Cum contingat n. 39. de jurejur. & ibi Imola n. 13. ver. In gl. fin. & ibi Card. in fine, Ant. in fine, Alciat. n. 27.* Insuper hoc præjudicium debet esse involvens injuriam, aut saltem culpam contra aliquam naturalem obligationem. Ut benè *Suar. eod. l. 2. c. 27. n. 5.*

40 Quando autem lex canonica, aut civilis irritat juramentum, aut ejus effectum impedit, an obliget juramentum, quidve operetur; dicemus *c. 22.*

CAPUT X.

De obligatione juramenti dolosè præstiti absque animo jurandi, aut se obligandi; aut per verba amphibologica.

SUMMARIUM.

Quæ difficultates tractanda sint? n. 1.
Qualis deliberatio exigitur ad juramenti obligationem? n. 2.
Quotuplex possit esse in jurante fictio intentionis? n. 3.
An obliget juramentum, quando deest animus jurandi? n. 4.
Quid si solus se obligandi animus desit? n. 5.
Quid si desit intentio promittendi, aut se obligandi obligatione sola fidelitatis, & justitia? n. 6.
Quid si habuit animum prorsus se obligandi jurans? Refertur opinio, num. 7.
Explicatur sententia Auctoris. Et simul solvuntur contraria, num. 8.
Quid si nec animum se obligandi habuit, nec contrarium? n. 9.
Quid si obligationem juramenti ignoravit? n. 10.
An juramentum verbis amphibologicis bona fide præstitum, obliget juxta solam jurantis intentionem; sive solus jurans, sive uterque fuerit in bona fide? n. 11.
Quid si jurans mala fide, & dolosè jurarit, an tunc obliget juramentum juxta sensum ejus cui præstatur? Refertur opinio, num. 12.
Explicatur sententia Auctoris, an ea obligatio sit ex vi juramenti, an ratione solius scandali, & injustitiæ? numer. 13. & 14.
Quid si ea verba amphibologica non habeant sensum à jurante intentum, juxta communem intelligendi modum? n. 15.
Quid si hic jurans jubeatur in foro externo stare juramento juxta sensum ab eo cui juratur, perceptum? n. 16.

1 DE malitia horum juramentorum satis diximus *toto cap. 6.* remittentes in hunc locum obligationem eorum. Atque *ibi nu. 1.* animadvertimus dupliciter posse hoc juramentum dolosum emitti. Priori modo, quando animus non concordat cum externis verbis; quippe hæc jusjurandum continent; ille autem est non jurandi, aut non se obligandi. Posteriori modo, quando animus cum verbis jurisjurandi concordant, dolus autem in eo versatur, quòd jurans utatur amphibologia, accipiens juramenti verba in diverso sensu ab eo, quem percipit is, cui juratur. Duplex ergo est tractanda difficultas. Prior de obligatione juramenti dolosi, priori modo præstiti. Posterior de obligatione juramenti posteriori modo dolosi.

2 Circa priorem difficultatem, duo præmittenda sunt. Prius est. Ea deliberatio exigitur, & satis est ad juramenti obligationem, quæ ad voti obligationem est necessaria, nempe, quæ desideratur ad culpam mortalem contrahendam. Quia cum utraque obligatio sit gravissima, ad mortaleque obligans, petit liberationem sufficientem ad culpam mortalem. Ut latiùs declarabimus *lib. seq. capitul. 1.* agentes de deliberatione ad votum requisita; ubi explicabimus, an sufficiat, ut juramentum sub veniali obliget, deliberatio imperfecta sufficiens ad culpam venialem. Et quid de deliberatione virtuali, seu interpretativa. Idem enim in utroque casu dicendum est. Et ideò exigi deliberationem necessariam ad mortale, ut juramentum obliget, tradunt *Angelus verbo Juramentum 5. num. 8. Sylv. verbo Juramentum 4. q. 9. Navarr. summa, c. 12. n. 10. & 24. Suar. tom. 2. de relig. tract. de juramento, l. 2. c. 7. n. 1. & 3.*

3 Posterius est. Quadruplex potest esse ficta jurantis intentio. Prima, quando deest intentio jurandi. Secunda; quando deest sola intentio exequendæ rei juramento promissæ. Tertia, quando deest intentio promittendi, & obligandi se sola peculiari obligatione justitiæ, aut fidelitatis, tribuente jus ei, cui juramentum præstatur. Ultima, quando prorsus deest intentio se obligandi.

4 Et quidem, ut à certioribus incipiamus, conveniunt universi Doctores allegandi, quando deest intentio jurandi, juramentum non obligare, ex vi ac religione juramenti. An verò alia ratione obliget, dicemus *nu. 13. & 14.* Ratio est, quia cum interior intentio sit quasi verborum anima, dans illis esse, hæc enim ad illam explicanda sunt suapte natura ordinata, quando deest interior jurandi intentio, juramentum verbis prolatum non est verè tale, sed dumtaxat fictè, & apparenter. Sicut matrimonium exterius absque interiori animo est fictum, ac nullam ex vi matrimonii obligationem inducens.

5 Secundò, quando deest sola intentio non implendæ rei juramento promissæ: quidam videtur sentire non obligare juramentum. Sic videtur sentire *D. Bonav. 3. diss. 39. artic. 3. quæst. 2.* ubi ait Ecclesiam non compellere ad juramenta metu extorta, quòd præsumat ea præstita animo periculi evadendi, & non implendi juramenti. Ubi videtur supponere animum non implendi sufficere ad ejus juramenti deobligationem. Et *Leon. lib. 2. de justitia, capitul. 42. dubio 8. numer. 41.* dicit non esse improbabile, quoniam juramentum iniquè extorquetur. Et tenet expressè *Almain. d. 39. qu. unica.* At credo eum intelligere de intentione non se obligandi; refert enim pro se *Scotum*, qui, ut *num. 8.* videbimus, loquitur de intentione non se obligandi. At mihi certissimum est, & meritò alii Doctores referendi *n. 7. & 8.* tamquam certum supponunt, & *Suarez eo c. 7. nu. 21.* dicit oppositum esse improbabile, id juramentum obligare. Ratio est, quia intentio non contraria substantiæ contractus, illum non vitiat, nec ejus obligationem impedit, utpote quæ ex ipso contractu manente valido oritur. Qua ratione *lib. 2. de matrimonio, disput. 29. nu. 11.* probavi validum esse matrimonium initum cum intentione non reddendi debiti; quia non est de essentia matrimonii reddere debitum, sed obligatio ad illud reddendum, & ideò sola intentio non reddendi non vitiat illud. At intentio implendi juramenti non est de juramenti essentia, sicut nec intentio implendi cujuscumque contractus est de ejus essentia. Ergo ea intentio illius non implendi non tollit substantiam juramenti, ac consequenter nec obligandi vim illi adnexam. Et confirmatur, quia prius est obligari, quàm exequi, hoc enim ob obligatione nascitur. Ergo ex eo, quòd deest animus exequendi, non tollitur animus se obligandi, & obligatio. Quippe sublato posteriori non tollitur, quod sublato posteriori non tollitur, quod prius est.

6 Tertiò quando deest sola intentio promittendi, juramentum adhuc obligat. Ratio est, quia stat substantia veri juramenti de futuro, obligans ad veritatem illam futuram juratam implendam, quamvis in eo juramento nulla contineatur promissio, aut ea irrita sit. Ut satis probavimus *c. prac. n. 5. & 6.* Ergo defectus solius intentionis promittendi non adversatur substantiæ juramenti, ac efficaciæ obligandi. Qua ratione idem dicendum est, quando deest animus non se obligandi peculiari obligatione justitiæ, aut fidelitatis tribuente alteri jus, qualis ex promissione nascitur. Quia similiter hæc intentio non est contraria substantiæ juramenti, nec propriæ ejus obligationi, quod est religionis erga Deum. Et utrumque reputo certum, & ut tale docet *Suarez eo c. 7. num. 5. & duplici seq.* Quamvis in nullo alio Auctore explicatum invenerim.

7 Tota autem difficultas eò pertinet, quando jurans habet animum jurandi: at nullatenus se eo juramento obligandi, an tunc re vera obliget. Qua in re est duplex sententia. Prior sustinet obligare. Ducitur, quia jurans vera intentione jurandi, verè jurat, & adducit Deum in testem non solius præsentis veritatis ibi inclusæ, sed etiam veritatis futuræ implendæ, aliàs non esset perjurus non habendo animum implendi, quod omnes negant. Ergo eo ipso oritur obligatio legis naturalis implendi juramenti, ab eo inseparabilis, quando materia est obligationis capax. Nil ergo referet privata jurantis voluntas volentis ab eo juramento separare obligandi vim. Nec potest illam separare, sicut nequit ab eo, quatenus assertorium est, separare vim obligandi ad dicendam veritatem de præsenti, habendo animum implendi. Et confirmatur, quia si habens intentionem non se obligandi, non maneret obligatus, neutiquam esset mortalis perjurii reus habens animum non implendi. Quippe sciens se in posterum non esse obligatum, scit etiam se non peccaturum, postea id non faciendo. Ergo nec antea peccabit habendo propositum non faciendi. Tandem, quia in actibus, quorum substantia consistit in obligatione, animus non se obligandi destruit eorum substantiam. Ut contingit in voto, in matrimonio, & in contractibus. At secùs est, quando substantia non consistit in ea obligatione, sed hæc est effectus ex illa subsecutus, tunc enim velit, nolit, exercens actum manet obligatus. Ut interficiens hominem, velit, nolit, subjicitur pœnæ æternæ, & temporali per leges statutæ. At substantia juramenti promissorii non consistit in obligatione implendi, sed hæc est effectus ejus. Ratio enim juramenti tantùm consistit in adducendo Deum in testem. Ergo verè illum adducens in testem, qualiter adducit habens jurandi animum, subjicitur obligationi implendi, velit, nolit, nec potest naturalem hunc effectum juramenti impedire propria voluntate, volendo non se obligare. Et hæc sententia est valde probabilis; & eam tenere videntur *Hostiensis cap. Ad audientiam, numero 1. super verbo, Resignavit, de his quæ vi, & ibi Joannes Andreas, numero 8.* ubi ajunt, quamvis promissio non obliget absque animo se obligandi; at in juramento aliud statuere Ecclesiam. Sed eos intellige *Imola ibi nu. 5.* ut sentiant in conscientia id juramentum non obligare, sed in foro externo Ecclesiæ foro, eò quòd non credat asserenti se caruisse animo se obligandi. Atque videntur etiam tenere *Angelus verbo juramentum 4. in initio, & Sylvest. verbo Juramentum 3. qu. 2.* ubi docent aliter contrahi obligati in voto, quàm in juramento: in illo enim contrahitur per intentionem, in hoc verò per deliberatam verborum attestationem. Et in propriis terminis docet *Cajetan. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. Sotus lib. 8. de just. quæst. 1. art. 7. ad 4. versiculo, At verò profectò, Covarr. de pactis 1. parte §. 5. numero 2. Gutierez quæstion. canonicis, lib. secundo cap. 22. numero trigesimo primo, Lud. Lopez 1. part. instructorii conscientiæ, cap. 42. versic. Secundùm Sotum, Manuel. 1. tomo summæ, in 2. editione, cap. 192. num. 4. & tomo 2. cap. 92. numero 7. Aragon. secunda secundæ, quæstione 89. art. 7. vers. Quarta conclusio, folio 1081. Enriquez lib. 11. de matrimon. c. 13. numero 2. in commento, litera Z, Suarez eodem cap. 7. à numero 11. usque in finem, Valentia secunda secundæ, disput. 6. quæst. 7. puncto 4. columna penultima, Leonard. libro 2. de justitia, cap. 42. dub. 8. num. 38. Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. 6. numero 8.* & dicit esse tutiorem *Tabiena verbo Jurare quæst. 11.*

8 Posterior sententia (quam probabiliorem reputo) ait, tunc juramentum non obligare. Ducor, quia apponens conditionem contrariam substantiæ rei, vel proprietati necessariò comitanti essentiam, ita ut absque illa consistere nequeat, eo ipso destruit essentiam. Sic ut quamvis de essentia matrimonii tantùm sit conjunctio materialis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens; sic enim definitur *c. illud 11. in fine, de præsumpt.* at non tantùm destrueret matrimonium, ac irritum illud faceret, qui exteriùs contraheret, nolens se ad eam vitæ consuetudinem obligare; sed etiam, qui nollet ad proprietates necessariò comitantes illam essentiam, ab illaque manantes, se obligare. Ut si in ipso contractu vellet non se obligare ad servandam fidem conjugi, aut prolem educandam, aut ad reddendum debitum. Ut probavi *lib. 2. de matrim. disput. 29. numero 11.* Similiter, quamvis essentia venditionis non consistat in traditione rei venditæ emptori, seu obligatione ad tradendum, sed in translatione dominii in illum, ex qua tamquam passio necessaria sequitur obligatio ad tradendum; at destrueret venditionem, illamque irritam redderet, volens vendere, & non obligari ad tradendum, sed ad retinendam rem illam. At de essentia juramenti, quatenus est promissorium, seu obligatorium ad rem futuram veram faciendam, est obligatio ad id, quando materia est capax obligationis, vel saltem est passio ita illi conjuncta, ut absque illa esse non possit; ut fatentur contrarii, & hoc fundamento probant suam sententiam. Ergo eo ipso, quòd vult jurare, ita tamen, ut inde non maneat obligatus, destruit naturam juramenti, apposita conditione, cum qua nequit consistere, & ideò verè non intendit jurare, sed ore tenus, & sic non manebit obligatus. Et confirmatur, quia sicut est passio necessariò concomitans juramentum, quatenus assertorium est veritatis præsentis, obligatio ad veritatem dicendam, & ideò qui ita vellet jurare assertoriè, ut simul vellet non se obligare juramento ad dicendam veritatem convinceretur de voluntate non verè jurandi, sed fictè, tamquam apponens conditionem incompossibilem. Sic contingit in juramento obligatorio veritatis futuræ, quando apponitur animus non se obligandi ad exequendum. Et declaratur ampliùs, quia quando ex intentione operantis nequit mutari opus ipsum externum, non mutatur, nec omnes suos effectus amittit, ob contrariam intentionem. Ut qui sciens fornicatur, est veræ fornicationis reus, quantumvis habeat intentionem non fornicandi. At secùs contingit, quando opus externum pendet ex intentione, & ex illa variari potest; ut negans exteriùs fidem, cum intentione contraria interna, non est verè hæreticus, & quantumvis vellet esse hæreticus negando exteriùs fidem, cum hac conditione, ut interiùs non dissentiat rebus fidei, non esset verè hæreticus, ob conditionem incompossibilem adjectam. At sic contingit in juramento, sive assertorio, sive promissorio, potest enim ex intentione jurantis effici, ne sit verum juramentum, ut si re vera desit intentio jurandi. Sicut omnes fatentur. Ergo re vera efficitur ex intentione jurantis, ne sit verum juramentum assertorium, sed fictum, quando non vult jurare absolutè, sed cum intentione incompatibili cum illo, & similiter quando vult juramentum obligatorium de futuro emittere, cum intentione incompatibili cum illo, qualis est nullius obligationis in futurum ex illo contrahendæ. Declaraturque ampliùs, quia stat juramentum idem esse validum, quatenus est assertorium præsentis veritatis inclusæ in promissione, scilicet, propositi exequendi, & ad illam obligare sub reatu perjurii mortalis, & minimè obligare, quatenus est promissorium, sed quatenus tale esse prorsus irritum. Quia non deest conditio necessaria ad ejus obligationem, quatenus est de præsenti; at deest, quatenus est de futuro. Ut contingit in juramento rei illicitæ, aut indifferentis. Ergo similiter juramentum obligatorium de futuro cum intentione non se obligandi, erit irritum, quatenus tale ratione conditionis contrariæ appositæ ipsius naturæ, validum autem, quo ad obligationem præsentis veritatis, eò quòd nulla apponitur conditio contraria ipsius naturæ, ut tale est. Tandem, quia promissio, & votum, cum animo non se obligandi, non obligant; quamvis enim ex ipsis oriatur natnraliter obligatio, velit, nolit, promittens, aut vovens; hoc tamen est supposita promissionis, & voti natura, & valore; tunc autem non adest ea natura, quia apponitur conditio illi contraria, quantumvis ille velit promittere, & voverè. Similiter ergo supposita juramenti veritate, & valore, consurgit ex illo naturaliter obligatio, velit, nolit jurans; at quando in ipsa emissione juramenti apponit conditionem contrariam naturæ ipsius juramenti, ut obligatorium est rei futuræ implendæ, non erit verum, sed fictum juramentum, ut tale est. Et confirmatur, quia juramentum hoc ferè in omnibus aliis sequitur naturam promissionis, instar enim illius non obligat rebus mutatis notabiliter, aut quando materia est mala. Cur ergo non sequetur in hoc? Et ex his manent soluta fundamenta contrariæ sententiæ. Et ideò hanc senten-

sententiam tuentur *Antcn. c. Si verò, num. 5. de jurejur. & ibi Abbas in fine, Alexander de Nevo, num. 37. in fine, & num. 38. Imola in fine*, & ubi eum retulimus, *num. praced. Scotus 3. d. 39. quæst. unicæ, art. 3. D. Bonav. ibi artic. 3. quæst. 1. numer. 46. & ibi Gabriel. quæst. 1. art. 2. conclusione 5. Almain ibi quæst. unica, Ricardus ibi, art. 2. qu. 1. & 2. Fortunius de ultimo fine, illatione 22. num. 477. & seq. D. Anton. 2. part. tit. 10. cap. 6. versicul. Quintus casus, in fine, Rosella verb. Jurare, numer. 19. Angelus verbo Juram. 5. num. 8. & 10. & 32. Sylv. verbo Juramentum 4. quæst. 7. & 17. & 19. Felinus eodem cap. Si verò, numer. 8. versic. Et declara, Armilla verbo Juramentum, num. 14. Joannes à Metina tractatu de confessione, quæst. de dispens. super revelanda confessione in solutione ad 7. Palacios 4. d. 29. disp. 1. fol. 665. col. 1. Navarr. in comment. cap. Humanæ aures qu. 3. numer. 6. vers. Suboritur tamen, 22. quæst. 5. Philiarcus de officio Sacerdotis, tomo 1. par. 2. lib. 3. cap. 16. versic. Sed dubium est, Seraphinus de privilegiis juramenti, privileg. 110. numer. 16. Gutierez de jurament. 1. par. cap. 57. nume. 20.* & hanc sequitur tamquam valdè probabilem *Azor. tom. 1. instit. moralium, lib. 11. cap. 4. quæst. 2.* & dicit esse comunem, & valde probabilem, *Leonard.* citatus, *num. praced. eodem dubio 8. numer. 37. & Tabiena ibi* allegatus idem sentit, cum tantùm tutiorem appellet contrariam sententiam. Et favet *D. Thom. 3. d. 39. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 3.* ubi dicit juramentum ex ipsa juramenti ratione non obligare, nisi juxta jurantis intentionem. Et tenet etiam *Selva de jurejur. 3. p. quæst. 1. num. 34. & 37.*

9 Id tamen absque dubio fatendum est, si jurans habeat verum jurandi animum, non habens formaliter intentionem, nec contrariam se obligandi, sed de hoc non cogitet, obligare juramentum. Quia eo ipso, quòd non excluditur formaliter intentio se obligandi, clauditur virtute in quocumque actu inducente obligationem, censetur enim factum juxta suam naturam, & communem usum. Et ideò meritò *Suarez eod. c. 8. num. 8.* ait contrarium non esse probabile.

10 Quòd si jurans ignorabat juramentum obligare, *Suarez eodem capit. 7. numer. 18.* dicit eam ignorantiam non excusare. Quia etsi ea quando est invincibilis, excuset in obligationibus pendentibus immediatè, & directè à voluntate contrahentis, non autem excusat in sequentibus naturaliter ex priori actu, velit, nolit agens; nam tunc si actus, ex quo consequitur obligatio, sit voluntariè, sequitur necessitate naturali obligatio, non obstante ignorantia. Et quidem rectè loquitur juxta suam sententiam relatam *numero 7.* At tenendo nostram relatam *numero 8.* est dicendum idem, sive sit ignorantia purè negativa, sive error, quod dicemus *lib. sequenti cap. 4.* in simili, nempe, in voto sic emisso.

11 Circa posteriorem difficultatem, constat apud omnes Doctores citando, quando jurans fuit in bona fide, doloque caruit, utens prudenti amphibologia, nullam irrogans injuriam ei, cui juratur, juramentum non obligare in sensu, quem percipit ille, cui juratur sed quem jurans intendit. Quia tunc non obligatur ex justitia; cum sic jurando caruerit dolo, nullamque injuriam irrogarit. Nec etiam ex juramenti religione. Ut *num. 23.* probabimus. Et hoc est, quod ait *D. Gregorius* relatus *cap. Humanæ aures 22. quæst. 5.* ibi *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant; divina verò judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Atque idem est dicendum, quamvis uterque in bona fide fucrit. Quia militat ratio dicta. Atque ita docent *Angelus, Sylv. Tabiena, Armilla* citandi *numero sequent.* At in foro externo, quod intentio latitat, stabitur communi, ac proprio verborum intellectui, quem significatione sua ostendunt *cap. Ex litteris 7. de sponsalib. l. Librorum 50. §. Quod tamen Cassius, ff. de legat. 3.* & docet benè *Covarr. de pactis 1. part. §. 5. in initio.* Quandoque etiam obligare poterit ratione scandali. Juxta ea, quæ dicemus *numer. decimo tertio.*

12 Difficultas verò est, quando jurans fuit in dolo, utens verbis callidis, & amphibologicis, aut conditionem aliquam mente retinuit, ad decipiendum eum, cui jurat, existentem in bona fide. Quibusdam placet juramentum tunc obligare juxta sensum, quem debitè intellexit is, cui juramentum præstatur. Probatur ex *D. Isidoro lib. 2. sententiarum c. 31.* & refertur, *c. Quacumque arte 22. quæst. 5.* ibi *Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Et ex *l. Finali, titul. 11. part. 3.* ibi *E por ende dezimos que si el que da la jura, o el que faze, metiere palabra enganosa, o dudosa, que non se deve entender sueras de la manera que la entendio el quel que fizo el enganno, e de tal jura como esta dezimos, que si el enganno pudiere provar, que non deve valer, nin approverchar se della a quel que fizo, o dixo el enganno, nin se puede escusar que non sea por ende perjuro.* Secundò, quia aliàs ex sua fraude commodum reportaret. Atque ita docent *D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. D. Anton. 2. p. titul. 10. c. 7. §. 3. Angelus verbo Juramentum 4. in initio, Sylvest. verbo Juramentum 3. quæst. 2. Tabiena verbo Jurare, q. 13. num. 14. Armilla verbo Juramentum, n. 16. Navarr. in summa, cap. 12. n. 13. Hostiens.* & alii, quos refert, & sequitur *Covarr. de pactis 1. p. §. 5. n. 1. & 2. Parladorus de rebus quotidianis, lib. 2. c. fin. 1. p. §. 4. n. 15.*

13 At dicendum est juramentum non obligare tunc, ex vi, & religione juramenti, ultra dolosi illius jurantis intentionem. Ut rectè docuit *D. Thom. 3. d. 39. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3.* sed ratione scandali exterioris vitandi, quod ex ejus juramenti transgressione oriretur. Quia juramentum nequit in foro conscientiæ obligare ultra jurantis intentionem, atque adeò si jurare non intendat, ad nil obligatur. Ut ex omnium mente diximus *num. 4.* Ergo si non intendit jurare, nisi juxta suam mentem, quam verbis illis amphibologicis percipit, juramentum ex vi ipsius non ampliùs obligabit. Idem etiam probatur ex *c. Humanæ aures*, relato *n. 11.* Nec obstant adducta in contrarium *num. praced.* Nam *D. Isidorus* intelligit, quo ad culpam in eo juramento doloso commissam, non verò quo ad inducendam obligationem ex vi juramenti, sed ratione solius scandali. Ad *l. regiam* respondetur eam procedere in foro externo, in pœnam fraudis. Ad secundum dico non reportare commodum ex ea fraude, cum & lethaliter peccet, & obligetur ratione scandali. Atque ita docent in simili, tractantes de juramento dolo præstito absque jurandi animo, nempe, id obligare ratione scandali, *Cajetanus 2. 2. quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad 4. vers. Ex quibus patet, Sotus l. 8. de justitia, quæst. 1. art. 7. circa solut. ad 4. vers. Quid ergo, Covarr. eodem §. 5. num. 2. Azor. tom. 1. institut. moralium, lib. 11. cap. 4. quæst. 2. Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 7. punct. 4. column. ultima, Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tractatu 11. c. 3. dubio 5. dicìo 2. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 2. c. 7. num. 2.* & in propriis terminis docent *Leonardus lib. 2. de justit. c. 42. dub. 9. n. 45. Suarez eod. lib. 2. c. 8. in fine.* Addit benè *Suarez eo cap. 7. num. 2.* quamvis hujus scandali vitatio pertineat per se primò ad charitatem, posse etiam eam ad religionem pertinere, quatenus publica illa perjurii species cedit in Dei irreverentiam, inducendo alios ad perjuria, aut juramenta dolosa.

14 Insuper potest adhuc cessante scandalo id juramentum dolo, & injuria præstitum, obligare ex justitia, ratione damni subsecuti alteri. Quia dolosus fuit per injuriam causa ejus damni. Atque ita docent *Sotus, Azor. Petrus de Ledesma, Suarez utroque loco, Leonardus n. praced.* allegati, *Metina tractatu de confessione, qua de dispensatione super confessione revelanda, in solutione ad 2. Navarr. capit. Humanæ aures quæst. 3. num. 6. 22. quæst. 5.* Si tamen sit mutuus contractus, nec alter, cui fictè juratum est, adhuc implevit, cum dolosus fraudem detegit, non tenetur dolosus in foro conscientiæ ratione contractus; sed si aliquod damnum sequitur, tenetur ad illud. Ut in sponsalibus fictis probavi *lib. 1. de matrim. disput. 10. num. 26.* Et similiter, etsi alter impleverit, non tenebitur hic dolosus ratione contractus, quando dolo illo promisit notabiliter inæquale, sed tenebitur ad reddendum æquale. Sicut eadem *disp. 10. n. 21.* probavi de sponsalibus fictis, quando est notabilis disparitas inter contrahentes.

15 Aliqui, quos tacito nomine refert *Suarez eo c. 8. n. 8.* limitant, ut dolosus non teneatur ex religione juramenti, quando verba amphibologica possunt habere aliquem proprium sensum adaptatum intentioni jurantis, aut hæc ex aliis conjecturis deprehendi posset. At jure optimo *Suarez ibi n. 9.* eam limitationem rejicit. Quia ratio adducta *n. 15.* probat idem in hoc casu.

16 Tandem si dolosè jurans cogeretur in foro externo stare promissis, teneretur ratione scandali solius parere, sicut de fictè professo tradunt Doctores. Sic *Leonardus lib. 2. de just. c. 18. dub. 8. n. 61.* Quod intelligo, nisi in pœnam fraudis sic damnaretur, juxta decisionem *legis regie* sic statuentis, quam *n. 12.* retuli: tunc enim teneretur parere sententiæ justam illam doli pœnam inferenti, nec innitenti præsumptioni veri animi. Quando enim soli huic intentionis præsumptioni sententia inniteretur, non esset in pœnam, & ideò ratione solius scandali obligaret.

CAPUT XI.

De obligatione juramenti per injuriam, ut solvendi usuras, aut per metum, aut per dolum extorti.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones sint disputandæ? num. 1.
Proponuntur probantia juramentum per injuriam extortum, ut solvendi usuras, non ligare, num. 2.
Id juramentum obligat, num. 3.
Quid si jurans solvere usuras, peccat id mutuum petendo à non parato, seu absque necessitate? Refertur quadam sententia, num. 4.
Explicatur sententia Auctoris, num. 5.
Quid si ex ipsomet contractu constet eum esse usurarium? n. 6.
An ex juramento solvendi usuras, acquiratur actio, & jus usurario? Refertur quadam sententia num. 7.
Explicatur sententia Auctoris, num. 8.
An ei juramentum satisfiat momentanea solutione, & statim repetendo? Et quid si juramentum adsit non petendi? Et remissivè, quid si juramentum adsit non petendæ relaxationis illius? num. 9.

An possit jurans hic retinere usuras promissas via recompensationis, quasi statimac solverit, sibi debebuntur, vel partem solvere, & cum jam illi sit sibi debita, retinere, via compensationis aliam partem? n. 10.
An si alia via tantumdem sibi deberet usurarius, liceat hac compensatione uti? n. 11.
Satisfit argumentis, n. 12.
Post num. 12. invenies alia summaria.

1 NON est in præsenti tractandum de justa relaxandi hujusmodi juramenta causa, & à quo, & quando relaxari valeant. De hoc enim agemus *cap. 21.* Nec in præsenti tractatur, an hæc juramenta confirment contractum; de hoc enim agemus *c. sequenti.* Sed in præsenti est sermo de legitima horum juramentorum obligatione, antequam relaxentur. Triplex ergo est quæstio disputanda. Prima de juramento extorto per injuriam. Secunda de extorto per metum. Tertia de extorto per dolum.

2 Quæstio prima. An juramentum per injuriam extortum, ut solvendi usuras, obliget? Et quidem pars negans inde suaderi videtur. Quia cum ea solutio sit usurario inutilis, imò valde noxia, utpote, qui peccat mortaliter accipiendo, & tenetur eidem juranti restituere, videtur ea actus otiosus, & inutilis, & sic peccatum tamquam actus otiosus, & præbens ansam peccandi, at cooperans usurarii crimini. Secundò, quia juramentum accedit promissioni solvendi usuras; quæ quidem ex omnium mente nullatenus obligat. Ergo nec juramentum. Quippe cum principalis obligatio non subsistit, corruit etiam accessoria. *Regula Cum principalis, ff. de regulis juris.* Et confirmatur, quia si id juramentum obligat ad vitandum perjurium, faciendo veram assertionem illam de futuro, cam enim non implendo esset mendacium; obligabit utique ea promissio absque juramento, saltem sub veniali, ratione vitandi ejusdem mendacii. Quippe juramentum supponit veritatem, aut falsitatem rei illo affertæ, & non eam inducit. Et hoc est, quod dicitur *c. Juram. 22. quæst. 5.* nempe, Deum non constituere differentiam inter juramentum, & simplicem loquelam. Quod intelligi nequit de gravitate obligationis, nec quantitate culpæ mentiendo, sed de necessaria veritate in utroque servanda ad vitandam omnem culpam. Tertiò, quia quando duo extrema junguntur aliquo medio, hoc sublato tollitur unio eorum. At juramentum illud, & ejus obligatio junguntur media promissione, seu assertione illa de futuro. Ergo cum ea prorsus irrita, nec obliget ad veram faciendam rem assertam, nec juramentum obligabit. Quartò quia cui datur actio, multò fortiùs datur exceptio, & retentio. *Regula, Quid ad agendum 61. de regulis juris, in 6. & regula Invitus 197. §. Cui damus, ff. eodem tit. & lib. 1. §. Qui superficiem. vers. Nam cui damus, ff. de superficiebus, l. Creditori 5. C. de pactis.* Qua ratione *l. 6. de matrimon. disp. 38. n. 34.* probavimus cum multis, quoties lex humana concedit debitori actionem ad repetendam rem solutam, posse tuta conscientia illum non solvere, utendo hac exceptione. Cum ergo huic juranti detur actio ad repetendas usuras solutas ratione ejus juramenti, ut dicemus *n. 9.* concedetur etiam exceptio, & hac utens poterit non solvere. Et confirmatur, quia frustra petitur, & est circulus inutilis, ac petens potest exceptione doli repelli, quod statim est eidem danti restituendum, *l. Dolo 8. ff. de doli mali exceptione; & regula Dolo 59. de regulis juris, in 6.* Cum ergo usurarius teneatur pecuniam virtute ejus juramenti sibi solutam, statim restituere, frustranea, & irrisoria esset ea solutio, & valde aliena à juramenti obligatione. Tandem, quia aliàs non satisfieret obligationi ejus juramenti, momentanea illa solutione, animo statim repetendi. Quippe ita solvens non videtur solvere, *l. Qui sic solvit, ff. de solutionibus.* Hæc sunt, quæ valde dubiam videntur reddere hanc obligationem.

3 Nihilominus certissimum est apud omnes, hujusmodi juramentum obligare. Quippe id expressè deciditur *cap. Debitores de jurejurand.* ibi. *Debitores ad solvendos usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.* Ratio autem est, quia ut tradit *D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3.* ab omnibus receptus ex juramento facto homini duplex obligandi ratio potest consurgere; altera homini ratione promissionis ipsi factæ, & ex hac parte juramentum per injuriam extortum non obligat; homo enim per injuriam nullum jus acquirit; altera vero Deo in testem adducto, & ex hac parte obligat jurantem reddere Deum testem veracem implendo promissionem testimonio sui nominis confirmatam, quoties promissio potest absque peccato impleri; juxta regulam, quam tradimus *cap. 9. numer. 19.* Hujusmodi est autem ea solutio usurarum, etsi enim usurarius peccet recipiendo, non tamen peccat jurans solvendo. Ut *numer. 5.* ampliùs declarabimus. Sed adhuc non videtur sufficienter hæc obligatio declarata. Quia ut juramentum etiam homini præstitum, ejus materia debet esse actus alicujus virtutis. Ut optimè docent *Cajet. 2. 2. quæst. 89. art. 7. circa solutionem ad 3. dubio 1. Vasquez* dicens esse omnium *1. 2. quæst. 96. art. 5. disputat. 174. numer. 35.* & supponunt *Sotus lib. 8. de justitia, quæst. 1. art. 7. circa solutionem ad 3. vers. Hæc omnia, Arragon. 2. 2. quæst. 89. artic. 7. circa solutionem ad 7. conclus. 2. Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 7. punct. 4. column. 6. vers. Ratione etiam*, dum conantur ostendere, qualiter solutio hæc sit actus virtutis, ut vel sic juramentum obliget. Atque rationem optimam tradit *Cajetan. ibi.* Quippe cum actus individuo nequeat esse indifferens, sed necessariò debeat esse bonus, aut malus, saltem quatenus otiosus est, nec esse valeat bonus moraliter, nisi sit virtutis actus; sola enim virtus est, quæ reddit bonum habentem, ac actus ejus bonos, ut dicitur *2. Ethicorum*, efficitur, ut si actus juratus non sit actus virtutis, sit necessariò malus, ac proinde juramentum ejus tamquam rei malæ non obliget; & ideò obligatio juramenti rei futuræ implendæ, exigit necessariò, ut executio illius rei futuræ sit actus virtutis. Nec inde infertur juramentum rei ex se indifferentis non obligare, si homini præstetur, contra ea, quæ diximus *c. 9. nu. 19.* Quia ut optimè advertunt *Leonard. lib. 2. de justitia c. 42. dub. 6. n. 26. & Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 2. c. 16. num. 4.* non est necessarium ad obligationem juramenti, ut ejus materia sit per se, & nudà considerata actus virtutis, sed satis est, ut ex se sit indifferens, & seclusa promissione; nam ea supposita in utilitatem hominis, erit in individuo actus honestus, & virtutis. *Cajetanus* ergo ideò dicit esse actum virtutis hanc usurarum solutionem, quòd sit actus charitatis erga ipsummet jurantem, redimendo suam vexationem; & idem dicit de solutione pecuniæ promissæ latroni jurejurando firmatæ. Quòd si dicas, tempore solutionis æpè jam cessasse vexationem; respondet tunc etiam dici eam redimi, eò quòd consummetur redemptio vexationis cœpta tempore promissionis. Idem dicunt *Sotus, Aragon., Valentia ibidem, & Vasquez eadem d. sput. 174. num. 39.* loquentes de solutione pecuniæ promissæ juramento latroni, hac enim ratione tuentur eam esse actum virtutis, ac proinde juramentum obligare. Et quamvis de promissa usurario non expressè loquantur; at referunt pro se eamdem *Cajetani* doctrinam, qui in utroque casu expresè loquitur, ac proinde illi in utroque videntur loqui. At quamvis hæc defensio sit optima in pecunia promissa latroni, non placet autem in usuris promissis usurario. Quia cum vexatio injustitiam supponat, ac usurariu. non teneatur lege justitiæ, sed sola charitatis in casu raro, mutuum dare juranti, hic non redimit vexationem aliquam commissam in denegatione mutui petiti, ut vel sic promissio usurarum sit redemptio vexationis. Insuper, quia usuras offerre, ac promittere nolenti aliter mutuare, non solùm licet in gravi necessitate petentis mutuum: ut probavi *capit. 8. à numero 12. usque ad 17.* at extra hanc necessitatem nulla est obligatio mutuandi, ac proinde tunc nulla prorsus redimetur vexatio. Tandem, quia *num. 5.* probabimus nulla existente justa promittendi usuras causa obligare id juramentum; cum tamen tunc nulla redemptionis vexatio inveniatur. Et ideò dicendum est, eam solutionem supposita promissione esse actum virtutis magnæ veracitatis, & fidelitatis, etiam quando promissio ex se non obligabat: est etiam actus conservandi licitè propriam existimationem, & honorem, stando promissis etiam in extorsionibus iniquis. Præterea solutio illa est valdè utilis ad conservanda prædicta, & ut petentibus mutuum, quo indigent, fides habeatur, si usuras à se petitas promittant juramento, & sic mutuum illud inveniant. Atque est etiam per se utilis pecunia illa soluta recipienti, & quatenus est ex parte solventis confert ei rem utilem, etsi aliunde sit inutilis ei, ratione obligationis restituendi. Quæ causæ satis sunt, ad eam solutionem cohonestandam, licèt non sufficiant, ut ea non jurata obliget.

4 Hæc autem sententia dupliciter temperatur ab aliquibus. Priùs, ut intelligatur, quando jurans solvere usuras, licitè eas promisit, si enim illicitè, ut nulla utilitate excusante, sed ad expendendum prodigè mutuum in ludis illicitis, aut cum meretricibus, petit mutuum promittendo usuras sub jurejurando, non obligabit juramentum. Quod tunc, & promittere, & solvere usuras sint illicita, utpote quæ omni causa legitimè excusante sunt destituta, & censentur cooperatio quædam peccato recipientis. Hanc limitationem tribuit (*Felinus c. Debitores, num. 7. de jurejurand. Glossa finali in eo textu*) sed falsò, tantùm enim dicit *Glossa*, solvere usuras promissas non esse peccatum; nam si tale esset (inquit) non posset obligare juramentum ea solvendi, Utrumque autem est verum. Eamdem tribuit (*Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 2. cap. 9. num. 7. Bellamera*, & nonnullis aliis in *eodem c. Debitores.*) Sed neminem inveni *ibi* id dicentem. Sed hujus sententiæ est apertè (*Cajetan. 2. 2. q. 89. artic. 7. circa solut. ad 3. dub. 1.*) ubi dicit juramentum non obligare, nisi quando ejus executio est actus virtutis, & solutionem usurarum promissarum non esse actum virtutis, nisi quando induit rationem redemptionis vexationis. Quare cum in hoc casu non sit redemptio vexationis, non obligabit juramentum hoc, juxta ejus sententiam. Idem tenet *Valentia 2. 2. disp. 5. q. 21. punct. 4. column. 5. vers. Jam de secundo*: ait enim eam solutionem esse peccatum; ac proinde consequenter tenetur dicere, ejus juramentum tamquam rei illicitæ minimè obligare.

5 At hæc limitatio non placet; & ideò dicendum est id juramentum obligare. Quia etsi in promissione culpa admissa fuerit, non obest obligationi juramenti, dummodo culpa non inveniatur in solutione promissa. Ut probavi *c. 9. nu. 23.* At culpa iniquæ inductionis ad peccatum inventa in petitione, si usurarius non erat paratus, nec erat causa excusans, non reperitur in solutione. Quippe jam usurarius est para-